
DE ABVSV PHLEBOTOMIAE

PETRI CASTELLI ROMANI

Medici, & Profess. in Almæ Vrbis Gymnasio.

Opus vtile, atque necessarium ijs Medicis, qui tutò per sanguinis missionem mederi volunt.







ROMAE, Typis Francisci Corbelletti. MDCXXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTR.MO ET REV.MO

PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

ET VRBANI VIII. P. O. M. NEPOTI.

PETRVS CASTELLVS Romanus Fœlicitatem.



RDVA profectò res est (Illustrissime Princeps) artificialis Medicina. Neque enim qui medetur, se ipsum tantummodo præstare debet opportuna agentem; sed ægrum quoque, assi-

dentes,& extrinſecùs occurrentia omnia ad Medici nutum expedita eſſe,& ſe accommodare eſt opus. Ἰατρός autem, (qui iurè artifex vniuerſalis, & Magiſter dicitur,ob ſcientiarum omnium cognitionem,quibus imbutum eſſe, eum par eſt) vt ſit aptus ὑπηρέτης τῆς φύσεως deſideratur in primis ille, (ad hoc, vt ex arte mederi poſſit)qui bonus φιλόσοφος eſt,clarè id Galeno probãte in libro inſcripto. Quod optimus Medicus, qui optimus Philoſophus. Et dedecet ipſum in Anatomicis diſſectionibus non eſſe verſatum,dubitarè enim quis poſſet, an partium ſitus,locaq; affecta nota habeat.Sed maximè eundem Aſtronomicis imbutum eſſe ſcientijs conuenit:vt de futuro morbi euentu aliquid certi præſagire valeat, ac tẽpus agnoſcat rectè offerendi remedia. Medicinæ verò partem illam Theoricam, quæ morborum eſſen-

tias,

tias, differentias, causas, signa, atque indicationes, si non ad vnguem adeptus quis fuerit, medici nomen nullo merebitur pacto. Atqui neque satis hæc sunt ad optimum constituendum Medicum; sed totidem etiam circa praxim in eo requiruntur dotes, & scientiæ: si quidem optimo artifici propriæ artis instrumenta ignorare non licet, quæ nil prorsus aliud sunt, quàm τὰ φάρμακα tum simplicia, tum etiam composita, quapropter simplicium cognitionem habere oportet Medicum, non Vegetabilium modò, sed etiam Mineralium, & Animalium: His vt accedat, etiam necessarium est, compositionum, & præparationum cognitio, vt vulgarium (quas communiter obseruant Pharmacopœi) ita quoque exquisitiorum, (quas introduxerunt Chimici) Sed neque his contentus esse potest

optimus Medicus, (tanta eſt Artis difficultas!) verùm Alimentorum vires, & præparationes exactè priùs conſideraſſe eum conuenit, quàm victus rationem ægro præſcribere audeat. Requiritur denique etiam Chirurgicæ operationis vſus, & ſcientia, vt perfectus in medendo euadat, nec in Phlebotomiæ præſertim vſu errata committat: quibus aptè inſtructus Medicus, ſi Scientiæ coniunxerit Exercitationem medicam, is procul dubio optimus erit iudicandus: alioquin altera tantùm parte præditus iurè claudicare dicetur.

Hæc omnia iam olim ego præmeditatus fui, & ideò diu noctuque, ac totis viribus conatus ſum, cunctas Medicinę partes commemoratas adipiſci, vt in optimum (ſi per me fieri poſſet) euaderem medicum, nullis parcens laboribus, nullis expenſis,

nullis

nullis periculis,quantùm autem profecerim aliorum esto iudicium. Hoc vnum in memoriam reuocabo, adeò me Philosophiæ operam dedisse, vt meruerim onus suscipere, te iubente (Illustriss. Princeps) eam publicè in Romano Gymnasio docendi. In Medicina autem,& Theorica, & practica quid ex triginta annorum laboribus consequutus sim,ex libris meis de Vomitu, de Suffumigijs, de Aquis Romanis, & ex Epistolarum decadibus X. ex consilijs, &c. cuique facile innotescet; nec minùs certè laboraui in Herbarum, ac fossilium inuestigatione, vti,tum edita,tum edenda Hippocratis materia Medica fidem faciunt.sed Animalium perscrutatio adeò mihi grata fuit, vt opus meum de Insectis ob rei difficultatem, & raritatem potiùs inuidiam, quàm laudem iam mihi parere sciam.

Intactas nec volui medicamentorum vtrasquè relinquere præparationes: Nã & de Duratione Medicamẽtorum, & Pharmaceuticam artem, & Pharmaconomasticum, & Antidotarium amplissimum conscripsi, nec non etiam Chimicas Quæstiones, & alia multa.

Ex tot tantisquè meis laboribus, ex tot vigilijs, atquè lucubrationibus, nil aliud lucratus sum, nil mihi comparaui aliud, quàm detractiones multas, inuidias, odia, & inimicitias eorum, qui, quæ ipsi ignorant, alios etiam ignorare cupiunt. Hæc munera! Hæc præmia virtutis! hoc solamen laborum! sed ita adhuc; aliud spes mihi præsagit in futurũ. at figulus figulum odit. Interim ego sub vmbra fausti, fœlicisque nominis tui (Card. Amplis.) recubans, detractationesque nihili faciens de Abusu venæ sectio-

nis

nis breui libello agere decreui, ne Iuuenes, à ſumma benignitate tua mihi erudiendi conceſſi, in aliquem circa ipſam incidant errorem: quod à te (Principum Princeps) accipi velim, vt grati animi mei ſignum ob tot tantàque accepta beneficia. faxit Deus, vt maiora etiam in me conferre velis, vt vales, ita ex animo Neſtoreos tibi ſanctiſſimoque Auunculo tuo deprecabor annos.



Per-

Perilluſtri, & Reu.mo D. D.

IVLIO MANCINO

SENENSI

S. D. N. VRBANI VIII.

MEDICO A CVBICVLO,

PROTHONOTARIO APOSTOLICO,

ET CANONICO VATICANO.

PETRVS CASTELLVS ROMANVS S.P.D.



VI lites habent Iudicem quærunt, & Iuſtum, & Sapientem, et Propitium. Mihi controuerſia eſt de ſanguine mittendo, ad te igitur iurè confugio; (admodum Illuſt. & Reueren. Mancine) æquitas enim tua ſuſpenſa non eget Hedera, quum adeò nota omnibus ſit, vt à me verbis extolli non debeat: ſi Sapientiam quæro, Medicorum ſapientiſſimum te iudicauit

ille


ille, qui ſua Sapientia, & Dei gratia, in ſapientiſſimos dominatur, ſuæ valetudini te præfecit, atque tuæ prudentiæ eam ipſam commendauit. Cauſa mea eſt Medica, Medicum ideò aptè eligo Iudicem. quem ſi propitium benignumque pluribus in me collatis beneficijs hucuſquè nactus ſum, eundem & in poſterum futurum ſpero. Te igitur quæro (per Illuſt. & Reueren. vir) æſtimatorem, te Arbitrum eligo, & te conſtituo Iudicem diſceptationis huius meæ de Abuſu venæ ſectionis, in qua oſtendere conatus ſum, quàm breuiſſimè, tum peccare eos, qui nimis parcè, tum qui nimis abundanter ſanguinem è Vena mittunt, concedat medicinæ creator ſummus Veritati conſentanea me proponere. Vale, valetudinemq; tibi bonam ſeruet Diuus Lucas Medicus cuius hac die natalitia colimus. Anno. 1628.

AD MEDICINAM
ALLOQVVTIO

De Perill. & Excell.mo D. D. Petro Castello Romano, Philosopho, & Medico præclarissimo, Chimiæ, & Botanicæ peritissimo, ac in Almæ Vrbis Gymn. profess. dignifs. Præceptoriq. suo carifs.

MICHAELIS MASSINI CHIENSIS.

Ἴδρις ἀκεστορίη χαίροις παυπείροχε, τέχνα
τῶν ἀσκληπιαδῶν δία ἐπαγγελίη
Ἀντιπάλους μὴ πτῶσσε τεοὺς πλέον, ἄπτοος ἴθι
Ἀκροπόληος ἔσω ναιετάουσα Πέτρου.
Οὐκ ἐνόησες ὅπως τόγε νῦν ὑπερήσπισεν ἥρως
σεῖο τὸν ὑβριστὰν πάμπαν ἐλεγξάμενος;
Ὃς ῥ' ἀθυροστομέων φάσκει καλὸν ἔξοχεν εἶναι
ἐκφλεβὸς ἀῤῥώστων ἄπλετον αἷμ' ἀρύειν,
Ὣς προμαχῶν προμάχιστε Πέτρος μεγαλώνυμος ἀνὴρ
οὐκ ἄρα μάψ τοίην ἔσχεν ἐπωνυμίην.



IN-

INDEX.

A

Aui-

Era-

E

F

G

Medi-

M

N

Pa-

P

Roma-


Ste-

T

V

Vires

FINIS.



ERRATA.

Pag.	Lin.			
6	6	Languius	*Lege*	Langius
8	9	perfectò		profectò
12	6	num. 1.		num 5.
28	12	retinere		retineri
34	13	abtinenter		abſtinenter
42	6	moriri		mori
44	7	veriare		variare
59	25	ſanguinis		ſan guis
65	21	V. S.		V. G.
66	4	quod		qui
73	13	adeſto		ade ſtote
95	12	ſæpa		ſæpè

Alia Lector amicus emendet.

AD STVDIOSISSIMOS IN ALMÆ VRBIS GYMNASIO MEDICINAE CANDIDATOS.

PETRVS CASTELLVS ROMANVS eiusdem Gymnasij Professor S.



VLLVM profectò (ornatissimi Iuuenes) citiùs, præstantiùsquè in Medica arte remedium ipsa Phlebotomia haberi posse videtur: hoc siquidem quasi repentè exoptatam adipiscimur sanitatem, si, prout Artis præcepta, & dogmata iubent, adhibeatur. Contrà tamen, his ignoratis, & in abusum si conuersum fuerit, non salus, sed pernicies præstò erit. Et quod doctissimus ille de Pharmacia edixit, esse nimirùm veluti nouaculam acutam, quæ in manu Pueri, vel insipientis inutilis, ac nocua omninò est etiam ipsi tractanti, à sapienti autem viro adhibita ad plurima vtilis fit. Nos idem de Chirurgico hoc opere dicere aptè possumus: Phlebotomia nempè, si

Phlebotomiæ diuersus vsus.

in bonum Medicinæ vsum trahatur ab Erudito Medico, certam pollicetur ægrotanti sanitatem: si verò quis, qui genuinas normas, verumq; phlebotomiæ vsum ignoret, eam adhibere voluerit, pro sanitate mortem inducet. Prauum phlebotomiæ vtendi modum *Abusum* vocamus. *Vsum* verò, quùm rectè adhibetur. Vt igitur Vos Alumni Scholæ Romanæ omnium nobilissimæ, Eruditissimæque cauere possitis Abusus, qui in Venæ sectione patrātur; sciatisque Verum, & legitimum ipsius vsum, duabus hisce Epistolis decreui Vsum, & Abusum phlebotomiæ ostendere; & primo quidem Abusum explicabo, vt cognoscatis, anteque oculos vobis semper sint (studiosissimi iuuenes) pericula imminentia à praua venæ sectione, & nè à vobis petentium sanitatem ægrorum Homicidæ potius, quàm seruatores sitis, eo potissimùm opere, à quò rectè imperato, quod desiderabatis impetrare potuissetis, malorum, indoctorumque Medicorum morē, qui lucro intenti, nec studijs operam nauant, nec in morbis requisitas indicationes norunt, putantque sola phlebotomia omnes depelli posse morbos; quod de facto accidit, quum, & morbum, & vitam eodem tempore ab ægrotante tollant. Et se Medicos venditant! Equidem pro certò habeo, quod si à me scribenda attento animo legeritis, & exactè considraueritis, memoriæque mandaueritis, fore, vt in curandis ægrotantibus, adhibendaque sanguinis missio-

Occasio scribendi.

Adhortatio ad discipulos.

miſſione admodum cauti, ac circumſpecti futuri ſitis: tradam enim exactam priſcorum Medicorum doctrinam, necnō communem Illuſtris Scholæ Romanæ vſum ipſa in phlebotomia adhibenda. Qui, quæſo, tutò curabit Mēdicus, abuſus ſuæ artis præſtantiſſimo inſtrumento? cuius peccatum quodlibet circa exceſſum, defectum, locū, tempus, modum, numerum, &c. certiſſimam affert necem? aggrediar igitur alacriter prauæ Venæ ſectionis explicanda nocumenta, in veſtram gratiam (nobiliſſimi adoleſcentes) ſimul etiam afferam quædam Eruditioribus non ingrata futura.

Incumbendum igitur eſt toto animo, & ſtudio omni in ſermonem περὶ καταχρήσιος τῆς φλεβοτομίας. Duplex autem eſt Abuſus circa venæ ſectionem, aut enim eſt ἔκλειψις, aut ὑπερβολή. de Defectu priùs, poſteriùs verò de exceſſu agam.

περὶ ἐκλείψιος

PEccauerunt non pauci antiqui Medici venæ ſectionem in ſuis ægrotantibus omittentes. Ariſippo enim Anidio primùm auctore de explodendo venæ ſectionis vſu dogma ſuſcitatum eſt; Galeno teſte de Venæ ſ. ad Eraſiſtratum.cap.2. Criſippus autem Cnidius (vt inquit idem de cu.ra. per ſang.m.cap.2.) venæ inciſionem ex omni medicinalium præſidiorum numero tollendam cenſuit. Secuti hunc ſunt ſui diſcipuli, & ipſi apud Græcos Qui fuerint hæmophobi.

clari, Medius, & Aristogenes. His etiam magis Erasistratus, ad summos euectus honores Chrysippi seruauit sententiam, habuitque asseclas, discipulosque plurimos, vt Apœmantem, Stratonem, & alios. Cōtra quos αἱμόφοβους, seu sanguifugos duobus, seu potiùs tribus libris disputauit Galenus. Atque plurimos Romæ existentes Erasistrateos adeò debellauit, vt mutata sententia, relictaq; sanguinis auersione in contrarium iuerint vitium, carnificesque cruenti fuerint redditi, vndè à Galeno iterum reprehenduntur de Venæ sect. ad Erasistrateos. tum cap. 1. tum 6. tum deniquè vltimo. eo, quod nimis temerè, nimisque damnosè ipsum emiserint sanguinem. Verum autem, & liberalem, sed non prodigum, nec auarum mittendi sanguinis vsum aureo libello nos docuit ipse Galenus, quem Arabes Medici totis viribus imitari conati sunt, præsertim verò Auicennas eorum princeps, qui ad vnguem ferè omnia quæcumque à Galeno, & Hipp. de Venæ sectione tradita fuere in suum caput de Phlebotomia transtulit, neque ab illis vnquam recessit, nisi magna vi coactus; itaque Auicennæ Opus nil aliud est, quàm Hipp. & Galeni monumenta mutato ordine in linguam Arabicam translata; & deplorāda quidem est, non autem accusanda, calamitas illa, quæ in Versionibus Arabum scriptorum contigit, nempè in latinum sermonem fuisse conuersa ab interpretibus, barbarè admodum loquentibus

Erasistratei conuersi a Galeno.

tibus

tibus. an quia barbara sit latina versio culpandus est Arabicè scribens? quare mirari subit de ijs omni impetu in Arabes irruētibus, atque scribentibus. *Artes omnes liberales, & scientiæ, & Medicina in primis in Arabum, aliorumq; Barbarorum manus inciderunt, à quibus erroribus infinitis deturpata est, adeò, vt nullum pristini decoris vestigium in ea agnosci possit, inter quos, et Erasistratea illa Hæmophobia iterum ab inferis in lucem reuocata.* adduntque Medicinam Barbarorum Tyrannide oppressam à neotericis in libertatem esse redactam, & alia similis census, ex quibus pauca nunc confutanda eligere placuit. Arabes accusati.

Sciant autem Discipuli mei Medicinam nunquam fuisse Tyrannicè ab Arabibus depressam; sed liberam, & in maxima dignitate, atque veneratione apud ipsos extitisse, atque diligentissimè fuisse excultam, ac exornatam magnificè: imò quùm aliæ nationes eam Tyrannicè opprimebant, quando nimirùm ea ipsa, sine Hippocratis, sine Galeni, ac sine alterius magni viri legibus abutebantur, illa consultò, & cogitatò ad Persas primùm, vbi erat Auicenna, deinde ad Hispanos, inter quos Auerroes Cordubensis erat, confugit, vbi gentium erant Medici Arabes, & simul commigrarunt Hippocrates, Galenus, cæteriq; Græci, atque tutissimò sese receperunt, benignè autem ab illis primò accepti fuere, postea Hispani amplexati sunt eosdem, adeò, vt breui ciues Arabes in Hispania Mauri dicti.

Hispanoarabes declamati fuerint, vbi, quum iam Arabicè loquerentur Hipp. atque Galenus; huiusmodi loquendi modum deserere cæperunt non multò post: quoniam Toleti Gerardus Cremonensis Auicênam latinè reddidit, vt refert Languius lib. 2. Ep. 2. ac tandem in Hispania tam Auicennas, & Arabes, quàm Hipp. Gal. & cæteri Græcipermanserunt pacificè: priuata interim Gallia, priuata Germania, nec non iucunda Italia etiam orbata præclaris Medicinæ luminibus, optima Medicina, vt potè exulibus Hippocrate, Galeno, cæterisque veteranis ducibus. Adeò autem diligenter exculta fuit apud Arabes; adeò tandem apud Iberos adoleuit Medicina, & philosophia; vt vtramque dimidio propemodum auctam fuisse certissimò dicendum sit, quod nolint, velint alij, fateri oportet. Immo Parisiensis schola, quam *Arabes in æternum proscripsisse*, dicit quidam, vtitur omninò Arabum inuentis, scilicet medicamentis ab arabibus inuentis, & ad nos comportatis, neque ipsi mentiri licet, etiamsi palam id fateri erubescat, nec mirum, quia Arabes illi Medici præstantissimi fuere, vel Hispani, vel ab Hispanis accepti. Verùm exactè consideranti innotescet Fernelium Gallum doctissimum in suis operibus, vt plurimum Auicennæ verba transtulisse in elegantiorem loquendi modum, & sic suum doctissimum librum conflasse. Nos tamen nunc Medici omnes (si verum fateri veli-

Schola Parisiensis vtitur Mesuæ antidotario.

Arabũ medicorum pręstãtia.

velimus) discipuli, sequacesque sumus Arabum in ea Medicinæ parte, quæ medicamenta complectitur: habendæ igitur à nobis sunt gratiæ, agendæque etiam Mauritanis pro beneficijs, ac pharmacis benignis acceptis, nec non pro exhibito hospitio Hippocrati nostro, Aristoteli, atque Galeno in exilium à cæteris nationibus eiectis. Non igitur Tyranni, non scientiarum corruptores, nec Barbari nuncupandi, cum barbaries non sit, vbi scientiarum cupiditas, & possessio est. sed summis laudibus ornandi, quod si quandoque Arabes errauerunt, erant homines, sunt excusandi. Nã etiam Medicinæ parens Hippocrates ingenuè fassus est aliquoties, se errasse, deceptum se fuisse.

Deinde asseram Arabes Medicos non vitiasse medicinam, sed auxisse, & ornasse; etenim Galenum præceptorem agnoscunt, sequè istius sequaces prædicant, Galenicam methodum, atque doctrinam profitentur omnes, omniaquè Græcorum recipiunt axiomata, atque præcepta mirantur, ac venerantur: si quæ autem sunt in Galeno, quæ illis minùs probabilia visa fuere, vel aliter in suis regionibus euenire conspexerint, viriliter corrigere, & in aptiorem sententiam reducere conantur: Neque ob hæc, si quando Auicennas à Galeno præceptore ad meliorem opinionem desciuit, tot iniurijs afficiendus est, neque omnino deserendus. In Hippocrate nonnulla Galenus notat, Aristoteles Platonem præce-

Arabes auxerunt Mediciná

Arabum [illegible]

ptorem arguit. Quot opiniones nouas Fernelius Gallus protulit? quot Cardanus contra Galenum ſententias exarauit? quot Veſalius Galeni errata confutauit? annè propter hæc Galenus, Ariſtoteles, & alij exilio perpetuo mulctādi erunt? inter horrendas ſpinas etiam naſcuntur roſæ. ſi Auicennæ methodus in tradenda medica arte conſideretur æquo animo, reperietur perfectò mirabilis, vt potè includens omne morborum genus, omnia medicamenta, omnia tum circa Theoricam, tum etiam praxim ſcitu digna, atque omnes medicinæ partes, ſuo quaſque loco commodè, ac dilucidè diſpoſitas; & ſimul etiam breuiter deſcriptas, complectens. Quum tamen nunquam ſatis laudatus Galenus ſparſim, confusè, & verbosè nimis doctrinam ſuam tradiderit, aptam potiùs (dicere auſim) confundere legentium mentem, quàm docere, etiamſi optima, & admiranda ſit. At quid, quæſo, eſt in Galeno, quod in Auicenna deſideretur? annè multa in hoc leguntur, de quibus ne verbum quidem fecit Galenus? nil certè boni in Galeni libris eſt repertum, quod Auic. in ſuum opus non tranſtulerit. Dicere non erubeſco, me ſolo Auicennę codice cęteris medicis ſcriptoribus ſublatis, medicinam rectè, vtiliterq; facere, vt auderē, fore; cum tamen ſolo Hipp. opere, Galeniuè ſolis monumentis diffidam tutò, iucundè, atque celeriter mederi me poſſe. Valeant etiam auctoritate Italicæ Academiæ,

Auicennæ Eruditio.

Galenus confuſus.

quæ

quæ Auicennam publicè explicandum iubent, opera nempè viri in medica arte tradenda insignis, & Hippocrate, Galenoque exceptis, nemini eruditione, diligentiaque cedentis, & tanti Auicennam fecerunt Italicæ Academiæ, quæ in Europa primatum tenent, vt à Theoricis explicari voluerint tam Auicēnæ primam fen. quàm Gal. artem paruam, & Hipp. aphorismos: à practicis verò tum in febribus, tum in particularibus tradēdis morbis solam Auicennæ methodum sequendā iusserint. Auicennæ, & Arabum etiam dignitatem confirmant Eruditissimi viri, qui in ipsis dilucidandis se exercuerunt, quales Vgo Senēsis, Gentilis, Petrus Aponensis. Iac. de Partibus. Dinus. postea verò Costæus, Syluius, Trincauellius, Montanus, Capiuacceus, & alij propemodum infiniti, qui autem leuitate quadam animi moti (quales sūt auctores nouæ Academiæ florēt.) nullo veritatis amore ducti, sanoque iudicio haud præditi, Auicennam, cæterosque Arabes aggrediūtur atrocioribus verbis, hostesq; sibi fingunt, & minimè reprehendenda notant, temeritatis suæ pœnas citò luunt, exoleta enim istorum dicteria, ineptaque iurgia ad salsamentarios delegantur, triumphante adhuc Auicenna, qui viuit, colitur, doctorumque manibus diù, noctuuè teritur.

Auicennæ opera publicè leguntur.

Minimè autem verum esse, cuilibet patet, quod dictum fuit Erasistrateam Hæmophobiam iterum ab inferis in lucem ab Arabibus reuo-

Arabes nō sunt Erasistratei.

reuocatam fuisse: nullibi enim legi Auicennam, vel Rasim, vel Haliabbatem, vel Auenzoarem, vel Isaacum, vel Auerroem, vel Serapionem, vel Mesuem, vel alium quemuis Arabem scriptorem medicum, qui, vti Erasistrateus phlebotomiam omnino prohiberet: sed è contra ea sæpissime vtentes ex ipsorum scriptis cognoui. Imò Auicenna 4.1.cap.de Phlebotomia. multa pulcherrima ibi docet à Galeno intacta, & sanguinem vsque ad syncopim emitti concedit virtute forti existente, in synochis febribus, in principio apoplexiæ, in synanche, & in magnis apostematibus, perniciosis, & fortibus doloribus, quod repetit capitibus proprijs, vt 1. 4. de feb. sang. 1. 3. de Apoplex.& 9.3. de cura præfocationum, & alibi. Præterea prægnantibus & menstruatis vrgente necessitate, vt sputo sanguinis concedit sanguinis missionem: deinde arguit dicentes post quartam diem nō esse phlebotomandum, & subdit etiam per 40. dies id licere. ita Haliabas quoque 3. prac. c.16.in feb. cont. sanguinem ad animi defectū vsque mitti iubet; quod idem tum prædicti Arabes, tum etiam ipsorum sequaces vno ore faciendum esse consulunt. Est nè hæc tanta sanguinis missio dicenda αἱμοφοβία, Erasistratea desipientia? iudicate vos iuuenes. Addam Auerroem scribentem 7. colliget. cap.3. *Auenzoar suum filium trium annorum ætate à morte liberasse secta vena*. & cap. 4. contra Hipp. egit, quandoque

Arabes sāguinē mittunt copiosè.

doque, dicens, prægnantem ferre venæ sectionem sine incommodo, neque vllum puto futurum, qui hunc sanguifugum vocet, sed potiùs Galeno, Susioquè audaciorem in sanguine mittendo.

Obijciet fortasse aliquis Auer. 7. Colliget. c. 8. reprehendit Galenum sanguinem mitti iubentem vsque ad syncopim, quo patet timuisse sanguinis missionem. Auic. autem cap. de phlebotomia sæpe, & sæpius inculcat, & iterat *Caue*, *Caue*, quo patet fuisse timidum in sanguine mittendo, dum toties venæ sectionem cauet, & prohibet. Obiectio.

Responderē aliud esse timere conueniētem, & moderatam sanguinis missionem, aliud verò timere intempestiuam, & excedentem: hoc est sapientis viri, expertiquè medici, illud verò timidi, inexperti, & fœminei habitus. è contra verò illam non timent Eruditi medici, posteriorem verò non timent carnifices. Auerroem autem timuisse sanguinis missionem per se ipsam nunquam concedam, sed ipsam syncopem; est enim affectio praua, & mortis prænuncium, igitur cum Auerr. vt supra dixi, sanguinem copiosè emitti permittat, & ideo nullo pacto Hæmophobus nuncupari posit, rectè est intelligendus, & cum Galeno vniendus: differunt enim termino, & nomine tantùm. dicemus autem Galenum loquutum esse de sanguinis missione facienda vsque ad syncopem, exclusiue tamèn, antequam syncopis succedat, Solutio. Auer. cum Galeno vnitur.

dat,

dat, sed tantùm fit in propinquo. Auer. autem non vituperat talem sanguinis missionem, sed eam, quæ etiam vlterius processit, & syncopem ipsam inclusit, timet ergo ipsam syncopem Auer. nam timuit etiam ipsam Gal. vt infra ostendam num. 1. nocumentorum. siquidem non expetitur syncopes pro Curatione synochi, sed magna sanguinis euacuatio, cuius signum est imminens syncope, patet igitur Auerr. cum Galeno consentire, ita vt dicere possimus cum Theocrito Eidyllion. 17.

Iuppiter, et Iuno lectū venere in eundem.

Ενδ' ἐς λέχος στόρνυσιν ἰαύειν Ζηνὶ καὶ Ἥρῃ

Et ex his iam patuit Arabes non fuisse διμοφόβους, nec Erasistrateos, nec peccasse illo venæ sectionis *Abusu*, qui circa ἔκλειψιν committitur, quod si vbi periculum imminet Auic. dixit *caue*, non sine ratione id protulit: Nam semper cum Hipp. & Gal. loquitur, vt clarè ostendam, & ille nil temere agendum, inquit, ergò caute.

Romanorū Medicorū Doctrina.

Modò mirari subit Præclarissimorum Romanorum Medicorum in secanda vena prudentiam, qui Hippocratis præceptis instructi, Galeniq; τῆς μέθοδου non ignari, suis scopis, atque exactè consideratis indicationibus in morborum tractatione semper vtuntur, ex quo fit, vt, nec casu, nec consuetudine quadam cæca ad phlebotomiam deueniant; sed optimè præmeditati. Hinc nec auari, nec prodigi; sed honesti, liberalesque in sanguine mittendo conspiciuntur; Hinc etiam fit vt mini-

minime, appellari possint αἱμοφόβοι, sicut neque è contra φιλαίματοι sunt. tales ergo sunt Scholæ Romanæ Alũni, & si qui fortè fuerint in Vrbe maxima aliter agentes, & à tali optima consuetudine deflectentes, non sunt Romanæ Scholæ Alumni. Immo tantum abest, quod Romana Schola sanguifuga dici possit, vt potius effari audeam, si Romam Galeno iterum accedere liceret; non modo nullos, quos reprehenderet reperturum Erasistrateos; sed fore, vt maximè miraretur Romanorum nunc in sanguine mittendo sapientem audaciam, & fortè in se ipso agnosceret quandam haud paruam timiditatis notam. Romani audaciores Galeno.

Considerare vos vellem ab Hipp. scriptum fuisse. 4. de Vic. acut. t. 19. mittendum esse sanguinem *si vigeat ægrotantis ætas*. & in com. à Gal. expressum esse. *Neque enim puer, neque senex sanguinis sustinent detractionem, etiam si morbus, quo ipsi laborauerint, magnus fuerit.* ita de subfig. Emp. c. 6. noluit puero pleuritico venam incidi, & 11. meth. cap. 14. nec Synocho affecto concessit. quem sequuntur Græci auctores, & ipse quoque Syluaticus contr. 88. nec non Susius cap. 7. pag. 65. his verbis eandem sententiam exponens. *Nullum ex ipsis pueris detractione sanguinis curabimus, qui decimum quartum ætatis annum non attingat*. quod certè assumpsit à Gal. de cur. ratione per s. m. 13. Papæ, quid audio! Ecce Hipp. ecce Galenus, ecce Susius, αἱμοφόβοι facti, Erasistratei Galen. non secat Venã pueris.

ſtratei nuncupandi ! timentes ante quartum decimum annum ſanguinem ægrotantibus mittere.

Romani mittunt ſanguinem pueris.

At inſpicite modo, & obſeruate ſapientiſſimam Romanam ſcholam, & profectò agnoſcetis Vrbanos Medicos eſſe audaciores, liberalioresuè in mittendo pueris ſanguine. Verùm enim verò Ducem habemus C. Celſum Hippocratem Romanum apertè ſcribentem, non ætatem ipſam, ſed vires eſſe conſiderandas, & ita, firmum puerum tutò per ſanguinis miſſionem poſſe curari. Et fortaſſe ab Hipp. id colligere licet. dum lib. de cap.vuln.nu.26. docuit *pueris detracto ſanguine perforandum eſſe cranium*. Caluus verò *ſanguine miſſo* vertit. quod idem perpendit etiam Roſarius in contrad.Hipp.48. & ſi quis reſponderet intelligendum eſſe detracto à vulnere congelato ſanguine, nos obijceremus Hipp.5. Epid.num. 26.& 7.Epid. 34. *Callimedontis puero contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudum, & doloroſum, ſectio venæ brachij*, cuius auctoritate fretus nepoti

Hiſtoria.

meæ puellæ 12.annorum ſimili tuberculo affectæ ſanguinem eduxi ad vncias xv. vnica vice, & die ſequenti apertum fuit ex ſe. Iurè igitur Romę pueris vena ſecatur; quod, vt exteri credant, teſtes adducam. Io Zecchius Bononienſis profeſſor quondam Romanus, nec non etiam aliàs Bononienſis, atque Sixti V. olim medicus conſ.46. ſic teſtatus eſt. *Romæ fœlici*

cum

cum successu pueris trium vel quatuor annorum vrgente necessitate sanguis è vena detrahitur. Doctissimus etiam Prosper Martianus in Antiparalogismo pag. 37. *Constat* (inquit) *hanc praxim sanguinem pueris, ac senibus mittendi satis vulgarem esse, ita vt nullus sit febre laborans siue senex, siue puer, cui vena non secetur, potissimum verò, vbi morbillorum, ac variolarum timetur eruptio*; Io. etiam Manelphus noster, de feb. pag. 257. & pueris, & omnibus ætatibus sanguinem esse mittendum asseuerat. addam ego me sexcenties pueris bimis, trimisue sanguinē è vena extrahi iussisse ad vncias quidem ternas, vel quaternas, & maximam illis hoc remedio opem tulisse, nec vllum hic reperire est, quod sciam, Medicum, qui puerulis sanguinis missione interdicere audeat. Et in tanta laude res hæc est, vt Mulierculæ longo iam in Vrbe huius remedij vsu edoctæ sæpe sæpius Physicorum sine assensu sanguinem infantibus suis febre laborantibus mittendum curent. si autem hoc ipsum alijs testibus confirmare opus esse crederem, niterer profectò Romanos Medicos enumerare puerulis duorum, vel trium annorum ætate sanguinem è vena mittentes, & fortè nullum inscriptum omitterem, inciperemque à Medicorum coripheo, nempe ab Illustriss. & Reuer. D. Iulio Mancino S.D.N. Cubiculario medico, enumeraremq; singulos Eruditissimos in almo Gymnasio Professores collegas, nec omitterem

Medicorū Romanorū testimonia

D. Iul. Mācinus.

terem

terem præclarissimos summi Medicorũ Collegij Romani Archiatros, inde descenderem ad testimonia praxim facientium Medicorum in Xenodochijs omnibus Vrbanis. præsertim verò eorum, vterer Medicorum testimonio, qui curam habent proiectorum puerorum S. Spiritus, Orphanorum, & Litteratorum nuncupatorum, nec silẽtio obuoluerem Illust. & Reu. Card. Barberini Excell. Medicum D. Tadæum Collicolam, nec Familiæ Pontificiæ Medicos D. Dominicum Riuarolam, & D. Sebastianum Vanninum, nec obliuioni traderem eruditissimos amicos meos D. Benedictum Auerrinum, D. Angelum Coliũ, D. Frãciscum Schaccum, D. Io. Iacobum Vbaldinum, D. Gabrielem Fonsecam, D. Tiberium à Fonte, & alios infinitos, in primis autem Eruditissimi Doctissimique viri D. Pauli Zacchiæ ob præclara edita monumenta insignis vterer solido testimonio, nec non aliorum clarissimorum, amicorumque Medicorum, quorum hic nomina adscribere superfluum duco. Si igitur (vt concludam) tot testes sunt, Romanos medicos in secanda vena, nec pueris quidem bimulis, trimulisuè parcere, nec senibus, nec vtero gerentibus, quibus pepercit Galenus, pepercit Susius, quid de cæteris coniectandum? Hinc cuilibet manifestum esse, reor, timidos Erasistrateos iam diu Romæ exules proclamatos esse, & pro ipsis Hippocraticam, Galenicamue doctrinam susceptam ab antiquo fuisse, ac viriliter

T. Collicola. *D. Riuarola.* *S. Vanninus.* *B. Auerrinus.* *A Colius.* *F. Schaccus* *I. I. Vbaldinus.* *G. Fonseca.* *T. à Fonte.* *P. Zacchias*

riliter nemini cedendo adhuc retineri. Sciant igitur exteri, notumque sit Orbi toti, cuius caput Roma est, Vrbanos medicos plusquam vatiniano odio odisse ob nocumenta à nobis ex parte dicenda vitiosam sanguinis missionẽ; cum autem æquè vitiosus sit excessus, ac defectus ideò à nobis profligantur, tam molles, fœmineique αἱμοφόβοι, quam carnifices, sanguisugæuè φιλαίματοι; omne enim nimium naturæ est inimicum; proinde aurea mediocritas iurè dicta est. Edictum Romanorum.

Atqui susurrat auris, vocemque sciscitantis percipere imaginor, cur pueris sanguinem mittamus, quùm tamen in eodem Cœlo Galeno mittendũ esse haud visum fuerit ante quartum decimum ætatis annum, nec leuibus quidem rationibus adducto, quas attulit. 4. de Victu Acut. com. 19. *At certè pueri* scribens *quamquam vitali facultate valeant, tamen nequè hi sanguinis sustinent missionem: prompte enim eorum substantia, tum propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem euaporatur. Detractione igitur sanguinis non egent, qui connatam habent à temperamento vacuationem*: & 11. method. cap. 4. *Quod enim*, ait, *ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltrò nobis ex curati corporis natura præstatur*. Ex quibus Galeni verbis Siluaticus cont 88. argumentationis formam hunc in modum constitui posse censuit. *In quibus corporibus illud natura* Ex Gal. Pueris nõ esse mittẽdum sang. Argumẽtũ Siluatici.

B *facit,*

facit, quod nos sanguine misso facere intendimus, in ijs sanguinem misisse superuacaneum est sed in pueris decimum, & quartum annum non attingentibus, id ipsum facit natura resolutione media, quod nos per sanguinis missionem facere intendimus: pueris igitur 14. annum non attingentibus sanguinem mittere superuacaneum est. quod Argumentum à nemine in hanc vsque diem infringi potuisse Siluaticus prædicat.

Responsio. Mihi autem respondere, quæso, liceat Phlebotomiam Pueris quoque esse optimum auxilium, prout experimentum non fallax, sed certum, & per centena puerorum millia iteratum hic Romæ comprobauit; nec tamen velim, Empiricorum more nos duci, censeat aliquis; ideò rationes non leues in medium adducam, quibus Romani Asclepiadei ad venæ sectionem primo in pueris peragendam inducti fuere, & in ea adhuc persistunt sententia obseruantes optimæ rationi salutarem suffragari experientiam, & conabor Syluatici argumentum diluere, Galenumque explicare, & nobis conciliare.

Primo autem ea occurrit ratio; quia tunc debemus sanguinem mittere, cum adest ipsius mittendi necessitas, nec quicquam prohibet; sed in pueris sæpissimè adest indicans venæ sectionem, sanguinisque liberalem euacuationem; mittendus est igitur pueris sanguis. nec dubium est omnes ferè morbos in omnibus

bus fieri ætatibus, verùm magis, & minùs; vndè acutis, & magnis morbis frequenter pueri quoque capiuntur, adestque in his sanguinea plethora, scribente Galeno 3. prog. 28. *Pueruli plurimum sanguinis habent humorem, eumque tantummodo haberent quantum in ipsum agitur ætatis temperamentum: at, quia cibi copiam ingerunt, atque eam inordinatam, succorum aliquid, qui crudi nomine dicuntur, subnutriunt. Porrò, quoties ad ætatem deueniunt adolescentium, quidam iam rectè viuunt, meliorem vitæ nacti tenorem, & ita sanguis in illis exuperat duntaxat.* & ob sanguinis abundantiam frequentissimè apud nos pueri Synochis, tum putridis; tum non putridis, & hinc etiam variolis, & morbillis affliguntur, alijsq; à sanguinis vitio morbis; peccatum autem sanguinis ipsius missione emendatur, synochorum verò vnicum ex Galeno remedium est venæ sectio, nec aliud in nostra arte plethoram æquè vacuãs auxilium repertum est. adest ergo in pueris iterum, & sæpiùs præsentia sanguineam euacuationem indicantis.

Pueris abũdat sanguis

Pueris peccat sanguis

Secundo. Dicendum videtur Medicum rectè operantem naturam imitari debere. Cum ergo hæc in pueris ante quartum decimum ætatis annum Crises per Hæmorrhagiã crebrò moliatur, cur non licebit Medico (qui ex Hipp. 2. in primum Epid. ὁ ἰητρὸς ὑπηρέτης τῆς τέχνης dicitur, & à Galeno τῆς φύσεως minister. 4. meth. 6. & 9. de Plac. Hipp. & Pl. & alibi)

sanguinis euacuationem secta vena in pueris prosequi? An ne ex Hipp. 3. aph. 27. *senioribus pueris, & ad pubertatẽ accedentibus ex naribus sanguinis effluxiones fiunt?* in cuius comento *Incipiunt* (inquit Galenus) *pueri pubescere post annum quartum decimum. Qui verò propè hanc ætatem accedunt, sunt, qui duodecimum, aut tertium decimum, aut quartum decimum etiam agunt annum.* deinde subdit. *Sanguinis verò profluuia ex naribus fiunt in tali ætate constitutis, quoniam hic humor in ea incipit abundare, non quia nunc plus de eo generetur, quam priùs, sed quia nunc minùs absumitur.* & quãuis Hipp. dicat in talibus Hæmorrhagias fieri, nõ ideo exclusit minores, maioresuè, sed frequentiores tantum morbos docuit. & secundo prædict. num. 47. fieri morbum quændam asserit, *quibus in pueritia, & iuuentute sanguis ex naribus fluere solitus desijt.* Quod si natura expellit ipsa sanguinem peccantem quantitate, vel qualitate, & innocuè quidem ante 12. annum, cur eam imitari nobis non dabitur? et, si in hoc eam imitari non debemus, neque etiam in alijs. Refert autem Amatus cent. prima curat. 37. febricitanti puellæ decem annorum ætate sanguinis vncias quinque extrahendas se iussisse: sed post horam in sanguinis fluorem ex naribus illam deuenisse: ita copiosum, vt assistentes integram sanguinis libram fluxam esse, affirmarent, ita verò ipsi sanguinis eum fluxum contulisse,

puellæ sana ta Hæmorrhagia.

vt

vt illicò à morbo libera euaserit, nec sanguinis missione, aut alio remediorum genere indiguerit, & in Scholio addit. Hinc argumentum desumi posse, quod sanguinis missio per venæ sectionem, in ætate puerili ante quartum decimum annum maximè conueniat, quùm in hac ætate sanguis sua spôte fluit nullo interueniente nocumento, aut caloris natiui resolutione, neque solum circà decimum ætatis annum venam esse incidendam prædicta ostendunt, sed etiam citiùs, quod ostendere etiam licet. Nã Fernel. lib. 6. Patho. c. 16. se vidisse dixit puellam octauo ætatis anno fluxu muliebri obsessam, & D. Gasp. VVolph. ex Gesneri schedis apud Sckenchium. *Puellæ cuidam octauo anno menses rubri superuenerunt, cum cessaßet sanguis è naribus fluere, quod ei antea sæpiùs contigerat.* quod si natura quandoque expellit sanguinem per vterum, vel nares octauo anno, immo quinto, vt mox dicam, cur medico denegabitur imitatio? Refert apud Sckenchium Hercules Saxonia. *Puellam noui Venetijs annum quintum agentem, singulis mensibus modicè tamen expurgatam*, & ex Sutero. *quadam statim atque quintum ætatis annum exegit, menstruo fluxu laborare cæpit., quo iam inde ab eo tempore semper statis diebus laborauit. Agit autem nunc ætatis vndecimum annum.* nec paucas puellas 9. annorum ætate vtero gestasse refert idem auctor. Præterea nos quoque hic Romæ frequentissimas, optimas-

Menstrua 8. anno.

Menstrua 5 anno.

timasque, per narium hæmorrhagiã in pueris 7.5.& trium etiam annorum ætate obseruauimus Crises. Quum igitur spontina sanguinis è naribus profusio in pueris conferat, & leuiter ferant, signum est talem fuisse factam, qualem fieri oportebat: sic ab arte facta per venæ incisionem excretio, quùm experientia quotidiana conferre,& leuiter à pueris ferri,obseruetur,talis esse facta, qualis fieri debebat omninò est dicenda. Ex quibus conclusum volo, nobis licere naturæ imitatione in paruis pueris sanguinis, per venæ sectionem detractione vti; dummodo experti adsint Chirurgi, quales Romæ non desiderantur.

In pueris Crises per Hæmorrhagiam.

Tertio. sic argumentari scholasticè placet. Illa corpora,quæ maius ferunt remedium,sufferent etiam minus: sed pueri ferunt per medicamenta purgari, quod est maius, violentius, & periculosius auxilium. Ergo ferent etiam venæ sectionem, vti remedium minus, mitius, & tutius: quæ omnia rationibus, atque auctoritatibus comprobare, mihi haudquaquam arduum videtur; siquidem Galenus ipse 2.de vic.in Acut.com.11.pro medicamento aluum purgante ab Hipp.ibi proposito substituere mauult Venæ sectionem scribens. *Vbi non solum acutus morbus fuerit cuiusmodi est Pleuritis,verùm & cum febre vehementissima multo magis vitanda est purgantis medicamenti administratio, atque per sectionem venæ vacuandum magis etiam si ad Hypocon-*

Pueri purgantur.

Phleb. tutior purgatione.

drium

drium dolor pertingat. Nempe etsi minus quidem auxilium, quam per purgationem, sequatur, securius tamen multo existit. Immo nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur. Et potissimum si laborantis naturam expertus quis non fuerit, nempè alij difficulter natura purgantur, alij modico assumpto medicamento purgantur copiosè. Quod autem pueris concedantur medicamenta purgantia ex Galeno in documento de puero Epilep. commostrabo, vbi cap. 3. *Accedente Vere* inquit *puerum purgandum affirmo mediocri purgatione.* & quia medicamenti qualitatem reticuit, suspicari possumus elleborum intellexisse, subdit enim c. 6. *Scillæ medicamento ægritudinem perfectè cessaturam, quoniam iam innumeros pueros nulla Ellebori opera sic curaui.* Verum Plin. li. 25. c. 5. etiamsi dicat elleborum mederi morbis comitialibus, tamen *vetant* inquit *dari pueris*, sed quicquid sit de elleboro, constat ex Gal. puerum esse purgandum. At de Hipp. quid dicendum, qui 5. in 6. Epid. com. 35. scriptum reliquit. *Mulier, Capra, Elaterium, aut cucumerem siluaticum edentes pueris purgatio.* purgat igitur infantulos lactantes Elaterio Hippocrates! & Gal. in com. addit. *Non Elaterio dumtaxat, quod Cucumeris siluatici succus est, quemadmodum neque ipso Cucumere solum vescentes, lac puerorum lactentium purgatorium gignunt*

Pueri purgantur Elleboro.

Elaterio.

gnunt, verum etiam si quod aliud medicamentum subductorium, quod vocant, assumpserit. Siue autem à muliere Elaterio, à Capra ipso Cucumere, siuè vtroque ab vtraque comeso, infantes earum lacte purgari dicat, nihil interest: quemadmodum neque si comeso, aut deuorato, quis scripserit. Conducit autem hæc oratio, & ad medicorum vsum, & ad naturale decretum. Infantulos enim purgare volentes, aut matri infantulum lactanti, aut Capræ, huiusmodi aliquid esui dantes, sic eos purgabimus. Ex quibus omnibus clarè patet pueros medicamentis purgari ab Hipp. & Galeno, patet etiã purgationem esse remedium vehementius, & periculosius, quam sit Venæ sectio, vt etiam retulit de curandi ratione per sanguinis miss. 11. Vndè facilè inferri potest pueris hanc magis conuenire, quàm purgationem.

Quarta ratio, quæ confirmat prædictum sanguinis mittendi vsum, erit, quia nihil est in contrarium, quod hoc remedium in pueris omnino prohibeat. Etenim pertimescenda minimè sunt ea, quæ proposuit Galenus in mediocri euacuatione, sed tantummodo in excedenti, in ea, quæ fit ad Syncopem, & Galeni ratio adducta est logica, & imaginaria, non autẽ physica, & experimentis suffulta, vos autem iam scitis, Eruditi discipuli, quod dixerit Arist. deserere experimentum, & quærere rationem insipientis esse, & tamen adducta ratio alijs rationibus conuellitur.

Soluitur Galeni ratio.

Dicam

Dicam igitur primo si verum esset pueros à proprio temperamento sufficientem habere superfluitatum euacuationem (nã connatam etiam habent viri , quùm continuò ab his etiam plurimum vaporis resoluatur,& fortas, se in calidissimo temperamento magis , quàm in pueris fit resolutio) sequeretur eos vel nunquam febricitare , vel Ephemera tantum affici ; febris enim ab imminuta,& insufficienti fuliginum resolutione pendet. Attamen vehementissimis,longis,atque contumacibus nô raró vexari febribus, obstructionesq; prauas ipsos pati,sæpissimè obseruamus;certissimum apud me indicium eorum corpora non semper esse conueniẽter difflata,nec sufficientem habere excrementorum vacuationem à primo temperamento. quare tunc detractione sanguinis opus habent,quãdo vacuatio naturalis sufficiens non est : insufficientem autem esse apparet, quum puer febricitat. Calida tẽperamenta.

Secundo dicam.si euacuatio pueris insita,& connata non potuit impedire mali generationem,qui poterit iam factum morbum per se solam dissoluere ? adeo enim debiliter, & tardè natura in pueris crisim molitur, & morbos depellit, vt ad menses & annos prorogetur Crisis quandoque, vt patet 3. aph.28. Crisis tarda in pueris.

Tertio. si euacuatio à natura instituta superfluorum humorum esset semper sufficiens in corpore , & quoties ea copiosè fit , & iuxta consuetum modum, nunquam esset san-

guis

Mulieres phlebotomantur.

guis mittendus, sequeretur in Mulieribus mẽstrua sua statuto tempore, & iuxta consuetam quantitatem excernentibus; si magno morbo ægrotauerint, non esse phlebotomandum; nam connatam hæc quoque habent naturalem superfluitatum euacuationem, & quod magis est in his euacuatur, non Vapor tenuis, & aquosus, sed sanguis ipse; & tamen Medici omnes sanguinem mittunt.

De inedia.

Quarto. Si Galenus irridet Erasistrateos (de Ven. sec. ad Erasistrateos c. 4.) plethoram non venæ sectione; sed inedia tollere satagentes, quid dicemus nos de ipso Galeno sentiente plenitudinem sanguinis vehementer lædentem pueros tolli facile, cito, & tutò posse, sola naturali perspiratione, quæ multò minus consumit substantiam, propriamque corporis humiditatem, quàm faciat inedia.

De remedio veloci

Quinto. Si Veloci remedio velox morbus tolli debet, in acutis puerorũ morbis necessaria erit omnino sanguinis missio. inepta autẽ sola vaporum transpiratio, quæ longo tempore vacuat, quod si expectare voluerimus, donec per cutem corpus euacuetur, morbi velocitati impar erit remedium, interim verò puer peribit negligentia medici. sæpe autem cutis obstruitur, & impeditur transpiratio.

Sexto. Si propter temperamenti caliditatem euaporantur sufficienter in pueris excrementa, in Viris calidissimo temperamento præditis fiet immodica humorum euacuatio,

tio, & certè videmus viros per cutis poros euidentes emittere fumos, præsertim hyberno tempore: æstiuo autē sudores, cutis sordes: gignere etiam ex superfluitatibus copiosos pilos, quod nō accidit pueris. ergo si paucior vaporum difflatio in pueris denegaret phlebotomiam, copiosior euacuatio in Viris eam magis prohiberet; eam tamen Gal. istis laudat. Caliditas tēperamenti.

At dicet aliquis. Galenum in pueris vires facultatis Vitalis præsentes satis esse validas, & ferre posse Venæ sectionem concessisse, sed considerandas etiam esse futuras vires, quę necessariò conciderent ob duplicem vacuationem scilicet tum naturalem, tum per Venam sectam. Obiectio.

Resp. plus substantię resolui in Iuuenibus, & Ephebis, quàm in paruis pueris, quod multis rationibus probare queo. Ex quo patebit non adeò esse formidandam in pueris naturalem resolutionem, cum pauca re vera sit. constat autem eiusdem esse temperamenti pueros, mulieres, Eunuchos, glabros, & alios imberbes; idest frigidiores quam sint Viri, sic Gal. ipse 2. in 1. Epid. 78. scribit in naturis temperamento frigidis, quales sunt mulierum, ægrè digeri per habitum corporis, & minùs multò, quàm in adultis iuuenibus, qui calidissimo sunt temperamento: at puerorum corpora effœminata sunt: ergo etiam in ijs ægrè fiet humiditatis resolutio; quod etiam patet, quia ex Gal. 3. de cau. sympt. 3. Pueris adest Expultrix, nec non Solutio. Pueri effœminati.

reten-

retentrix imbecillior, quàm iuuenibus: quare si magis viget facultas expultrix in iuuenibus, maior fiet in his expulsio superfluitatum, quàm in pueris; nec dicere valet ex retentrice valde debili fieri resolutionem maximam in pueris; quia huic multa opponuntur. etenim etiamsi in pueris retentrix facultas, quæ pendet à neruorum robore sit debilis, tamen haud facile concesserim retentricem, quę pendet à facultate naturali Hepatis esse debilem: quum videam in pueris humiditates magis retinere, quàm in Viris, cum enim sint corpora mollia, & humida, si non esset valida retentio humiditatum, citò exiccarentur humiditatibus resolutis. sicut è contra iuuenum temperamenta sunt sicciora, quia non retinent humiditates, senes verò postea humectantur, quum retinentur humida excrementa. Prætereà ad multam resolutionem, requiritur validus agens. ergo validus calor, non temperatus, sed ex Gal. lib. de temper. puerorum corpora sunt temperata, iuuenum verò multo calidiora, igitur in pueris ratione agentis fiet moderata resolutio, in iuuenibus verò multo maior. Demum ad resolutionem plurimę humiditatis corporum faciendam requiruntur viæ aptæ ad transitum excernendorum vaporum, sed in pueris angustæ sunt viæ, densæ carnes, nulli cutis pori. ergo in his difficillima superfluitatum euaporatio.

Rationes multæ contra Gal.

Con-

Confirmatur hęc etiam ſententia,ſi dixerimus maiorem fieri reſolutionem in Iuuenibus quàm in pueris, quia pueri habent exiguos meatus,vt Eunuchi,& foeminæ,vtar autẽ Galeni teſtimonio 2. de temp. c. 5. vbi ait. *Pueri admodum parui nudi ſunt pilis, quod vtiq; nec meatus adhuc vllus illis in cute eſt, nec fuliginoſum excrementum: incipientes autem pubeſcere paruos, & imbecilles habent: at qui iam florent,valentiores multò,& magnos,& nigros habent,quod & frequentes iã meatus ijs ſint facti, & fuliginoſis excrementis præſiccitate,& calore abundent.* Ecce Galenus fatetur pueros in cute nullos habere meatus, iuuenes verò ſortitos eſſe frequentes. Quæro modo à Gal. ex quo corpore maior fiet effluxus, ab eo nè, in quo ſunt magni,& frequẽtes meatus cutis, an verò ab eo, in quo ſunt vel pauci,vel nulli? Equidem haud ſcio quo pacto ſibi concordet Gal. qui de opt. ſec. ad Traſib. cap. 26. ſcripſit. *Denſitas, & raritas ſunt nonnullis ingenitæ, alijs præter eorum naturam: nam ſenum denſitas ipſis quidem ingenita eſt; ſed pueris extranea; contra pueris raritas naturalis eſt, ſenibus autem violenta*. Sed quid quæſo eſt raritas, & denſitas cutis: niſi meatuum abſentia, & pręſentia? in pueris non adſunt meatus: ergo cutis denſa. videtur autem potiùs dicendum eſſe, quod pueris ſit naturalis, & ingenita denſitas. ſunt enim veluti ſpongia aqua repleta, quæ ob plenitudinem humiditatis

Pueri ſine poris.

tatis nullam habet porositatem,& ex Gal.ipso nō habent poros in cute.senibus autem,(quorum corpora sunt veluti spongia aqua exhausta, totaque porosa) si contigerit meatus densari,& conniuere,non erit illis naturale, sed accidens præter naturā, nimirum post raritatem præcedentem. scio quidem aliud esse habere cutem densam, aliud verò carnem. nam Hipp.1.de M. Mul. nu.2.dicit. *Mulierem rariore carne præditam, & teneriorem esse, quàm virum*. Virum verò solidiore carne præditum esse, quàm mulier. At cutis rarior est viris,densior autem foeminis, & eiusdem cum foeminis naturæ, scilicet pueris,& Eunuchis,quod ex Hipp. de Nat. pueri 17. clarissimum est, cuius verba non pigebit transcribere,vt constet in pueris cutem esse densam, in adultis rariorem. *Cæterum* (inquit) *pilorum natura hoc modo se habet. Oriuntur equidem maximi,ac plurimi, qua corporis parte cuticula rarissima est,& vbi pilus moderatum humorem in alimentum habet, & vbi cuticula posterius rara fit, ibi etiam pili posterius nascuntur,velut in mento,& pube, & sicubi aliàs pili nascuntur: simul enim vt genitura prodit; etiam caro rarescit, & cuticula, & venæ aperiuntur magis,quam priori tempore. Nam dum adhuc puer est, & venæ tenues existunt: non procedit per ipsos genitura, (eadem ratio de mensibus virginum est) Simul autem vt via fit,& genituræ, & menstruis virginibus;etiam pilos*

Pueris densa cutis.

pilos emittit pubes, tum pueri, tum virginis, rara nimirum cuticula reddita, ſimulque pilus moderatam humiditatem in alimentum habet, & non pauciorem. Sic verò & in mento viri contingit: rara enim fit cuticula, procedente in ipſam de capite humiditate: ſimul enim & in coitu, ſimulque interiecto tempore, pilus moderatam humiditatem in alimentum habet, & tunc maxime, quùm tempus contingit humiditati de capite deſcendenti in coitu, ad mentum à pectore diſtans. Quando pili naſcuntur.

Signum autem eius, quod in rariſſimis cuticulæ partibus pili enaſcuntur. ſi quis velit inurere cutem, & puſtulam tantum facere, eamq; ſanare, cutis denſa reddita per cicatricem pilos non producet. Quicũque verò Eunuchi, dũ pueri ſunt, fiunt, propterea neq; in pube, neque in mẽto pilos producunt, leuesq; toti exiſtũt, quòd via genituræ non facta, cuticulam non rarefacit per totam ſuperficiem: intercepta eſt enim ac concluſa genituræ via, quemadmodum paulo ante à me relatum eſt. At verò mulieres leues fiunt, & mento, & corpore, quod in coitu ipſarum humiditas non ſimiliter agitata velut viri cuticulam raram non facit. Ex his autem Hipp. verbis clariſsimum eſt cuticulam puerorum eſſe denſam, pubeſcentium magis raram: quare per denſam cutem minus humidi diffluet, quàm per raram cutem. ergo maior fit reſolutio in adoleſcẽtibus, quàm in pueris. non ne inter homines, qui piloſiores ſunt iudican-

dicantur calidioris temperamenti ex Gal. in arte medicinali ? quare etiam dicemus iuuenes ob pilos enatos esse pueris calidiores.

Nulla vis 14. anni.

Confirmatur etiam id ipsum, quia quartus decimus annus per se quidem nullam vim habet indicandi, vel prohibendi venæ sectionem, sed pubescentia ea est, quæ attenditur, cuius aduentus adesse solet circa 14. annum, & ea ipsa pendet à seminalibus vasis apertis, vt dixit Hippoc. verbis mox allatis : vnde in Eunuchis, quia nullum semen, nulla est pubes; nihil etiam 14. annus indicabit; sunt ergo calidiora illa Animalia, quæ semine abundant, quàm, quæ eo carent, & pubescentia indicabit caloris augmentum, & dominium super humidum, ob id puberes (ratione, inquam, seminis) calidiores impuberibus erunt, & per consequens, si calidiores, plus vaporis emittent, & plus substantiæ deperdent, quàm pueri, non ergo adeo pertimescenda est naturalis resolutio in pueris, vt ob eam timeamus Venam secare.

Obiectio.

Si quis verò dixerit molliora corpora, fragilia, & effœminata (qualia proculdubio sunt puerorum corpora) insensibili perspiratione dissolui. Hoc ei ego negabo, quia Gal. lib. de opt. sect. ad Trasil. c. 29 noluit id methodicis concedere. Et, vt concludam, aio, satis esse pro secãda vena in pueris vires validas pręsentes ; debet enim adesse præsentia indicãtis, & quod non est vim non habet prohibendi ; sed verum

Negatio.

est

est, quod attendere debemus, ne vires in præ. senti validæ nimis prosternantur, quare minus detrahemus sanguinis, nil veriti illam naturalem resolutionem à Galeno propositam, quùm pueri alimenta ingesta non resoluant per halitus; sed agglutinent, & conuertant in augmentum suorum corporum, alioqui temperato calore præditi sunt, & pituita abundant, vnde catarrhosi, humidi, & somnolenti sunt, præ omnibus ætatibus.

Septimo. Si propter temperamentum cal. & hum. puerorum substantia adeò euaporatur, vt phlebotomia in his adhiberi nequeat, neque Eunuchi, neque mulieres propter idem temperamentum, & eandem euaporationem ferent Venæ sectionem, patet autem puerorum, Eunuchorum, & mulierum similem esse naturam, quia Hipp. 6. aph. 28. 29. & 30. ait. neque Eunuchos, neque mulieres, si non menses ipsis defecerint, neque Pueros ante veneris vsum podagra laborare. & Gal. 3. de off. med. tex. 23. quæ Hipp. de pueris verba facit transferenda esse dixit ad Eunuchos, & fœminas, & etiã 1. de comp. med. 2. loc. c. 1. de pharmaco Heræ. *habent* (inquit) *consimilem pueris cuticulam, Eunuchi, & mulieres*. cum ergo simile sit temperamentum, & similes morbi puerorum, mulierum, & Eunuchorum. si à temperamento fieret multa resolutio, & tanta quanta prohibet venę sectionem, non in pueris tantum, sed etiam in fœminis, & Eunun-

temperam. cal. & hum.

chis esset prohibenda venæ sectio, at fæminæ sustinent magnam sanguinis vacuationem.

Octauo. Quãdo Gal. dixit. 4. de V. Acut. citato. *Detractione sanguinis non egent, qui connatam habent à temperamento euacuationem.* explicari debet hoc modo, detractione sãguinis copiosa, & vsque ad syncopim non egere, qui cõnatam habent sufficientem à temperamẽto euacuationem, quo pacto cum Galeno sentimus nos etiam: ita enim non negatur pauca detractio, quum insufficiens est vacuatio connata: ipse enim de cur. rat. cap. 14. *cum febrilis calor multũ sanguinis digerit atque abtinẽter laborans victitat, necessario breui illum nutrimentũ ex sanguine destituit interim virtus exoluitur.* præterea ait multũ sanguinis absumi à laborantis temperie cal. & hum. ab habitu corporis albo, & molli; ætate puerili, anni tempore æstiuo, sub cane, & in regionibus calidis ob quas connatas euacuationes dicit. *minus detrahi quam plenitudo commonet*: non prohiberi omnino. ita ergo, & 4. Acutor. est intelligendus.

Explic'at. Gal.

Nono ad tex. ex 11. meth. negamus ex curati corporis natura id vltrò præstari, quod ex incidenda vena optabamus; quid enim euacuat ea natura per insensibilẽ transpirationem, nisi tenuissimos vapores? at venæ sectio euacuat sanguinem ipsum actu lædentem, & multipliciter peccantem: peccatum enim in copia, velox remedium requirit, & ideo dixit Hipp. 1. aph. 3

in

in athletis bonum habitum apparentem, non tarde, sed ſtátim eſſe tollendum: peccatum in qualitate neque reſolutione, neque inedia tutò tollitur, nam nimis calefactus ſanguis, feruens, & ebulliens in venis minui ſecta vena debet, ab inedia caleſcit magis, putrefactus verò ſanguis quo tempore, & quo modo corrigetur, & expelletur à connata reſolutione? denique motus ſanguinis reuulſionem requirens nunquam auertetur à connata illa vacuatione. ergo ex curati corporis natura nullo modo id præſtatur, quod venæ ſectio breui efficeret.

Decimo. ad Siluaticum reſpondens negabo Argumenti minorem propoſitionem, quia natura per reſolutionem in pueris non poteſt id quod phebotomia expleret perficere nempe neque citam motus ſanguinis reuulſionem, neque deriuationem, neque euacuationem copioſi vel putridi, ac corrupti, neque refrigerationem calefacti, & ebullientis. reſpôdetur Siluatico.

Vndecimo. Quando Hipp. dixit ſanguinem eſſe detrahendum *ſi vigeat ætas &c.* intellexit *ad animi deliquium*. loquebatur enim de magno morbo, qui magnum remedium poſtulat, Venæ autem ſectio indicata à magno morbo, debet etiam ipſa eſſe magna æqualiter, ideſt, copioſa, qualis eſt vſque ad Syncopem, & quamuis magnus morbus per ſe ipſam requirat, tamen conſiderandum eſt, an corpus curandum eam ferre valeat, & huius ſignum Hipp. explicatur.

desumemus Hipp.docente à Virium robore, & ætate valida, vt adhiberi possit valida vacuatio, de pauca autem euacuatione non loquitur hic Hipp.igitur ætas quantitatem limitat,non autem indicat, nec prohibet remedium,vnde Hipp. 1.aph.2.in vasorum inanitionibus inspiciendam esse ætatem voluit,vt contraindicantem, & aph.3.*qualis natura est eius qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit*. & sub naturam inclusit ætatem.

Duodecimo. Galenus quoque eodem pacto veniet explicandus, si dixerimus negasse ante 14. annum, eam tantum venæ sectionem quæ fieri solet vsque ad syncopem, etiamsi morbus fuerit magnus,qualis pleuritis, synochus,Angina &c.timuit,enim tantam copiam non autem saluberrimum remedium miris laudibus ab ipsomet exaltatum, itaquè ætas non absolutè,& prorsus sanguinis missioné prohibet,sed quantitatem determinat, siquidem Gal.de curat.rat.per sang. m. 14. *minus* (inquit) *detrahimus quam plenitudo commonet, quod ad ætates quidem attinet, in pueris*, & rationem addit, quia eorum nutrimentum *absumitur ob temperiem calidam,& humidam*, & eandem rationem affert pro diminuta phlebotomia *in habitibus candidis, ac mollis, teneræquè carnis quales Galli sunt* vbi notare licet, contra Galeni mentem eos Gallos, qui suis ægrotis copiosius, & frequẽtius sanguiné mittunt, hoc remedium exercere: prætereà

Gal. dilucidatur.

sub cane, & in regionibus, & constitutionibus calidis quare dicam manifestum esse non solam vaporationem sufficere ad prohibendam venæ sectionem, sed tantum limitare.

Ita etiam eodem lib. cap. 13. cum dixisset, *quibus ampla sunt venæ, quique modicè graciles sunt, nec candidi, neque tenera carne præditi copiosiùs euacuabis* subdit *contrarios autem parciùs, quippequi exiguum habeant sanguinis, carnemque facile transpirabilem*, & inter hos parcius euacuandos numerat pueros: statim enim addit. *Hac ratione* .i. parcè *nec pueris venã tundes vsq; ad decimũ ætatis annum*: copiosiùs, *post quem si multus congestus sanguis appareat, tempusque anni Vernum fuerit, regioque natura temperata, & pueri natura bene sanguinea*, conditiones pro phlebotomia, *sanguinem minues* copiosiùs quàm prius *multoque magis si aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisque morbi periculum incumbat. Detrahes autem primum, vt summum, ad cotylam vsque* idest vnc. viij. dram. 2. scup. 2. secundum alios vnc. x. *Quod si postea perpendenti vires, permanere validæ videantur, dimidium eius adijcies, reiterata missione*.i. vnc. IV. scup. IV. vel vnc. V. & in totum erunt sang. vnc. 12. & semis, vel vnc. xv. quod si pueris post. 14. annum lib. 1. sang. mitti potest, circa 7. mittemus tantum dimidium, vnc. VI. & trium annorum ætate vncias tres, semper data aliqua proportione. Galeni alter locus.

Galenus se explicat.

At Primo ad Gla.c.14.Gal.explicare videtur quod alibi obſcurè dixerat, *His etiam* (inquiens) *& ætas annumeranda eſt veluti accidens quoddam, quod probibendi integram vacuationem vim habet: neque enim pueri, neque ſeniores hanc ſine noxa tolerant. Hoſce igitur omnes, vbi diſpoſitiones hortentur, non ſemel, neque ex toto, ſed paulatim oportet euacuare.* vbi manifeſtiſſimum eſt Galenum velle integram, copioſam, excedentem, atque ad ſyncopem vacuationem ab ætate poſſe prohiberi, cum tamen concedat partialem, repetitam, & paruam euacuationem.

Galeni mens.

Credimus autem pueris ante 14. annum à Galeno prohibitam fuiſſe eam tantum phlebotomiam, quæ copioſa eſt, & ſuo tempore ſæpiſsimè fieri ſolebat, vſque ad ſyncopem, conceſſiſſe autem paucam, & ſolum denegaſſe nuper natis puerulis venæ apertionem, quod iurè factum fuit ob venarum exilitatem ita lib.de ſectis c.3. *ſi ætas* (inquit) *aut pueri natu admodum parui, aut ſenis in ſenium longè prouecti, &c.* inde *nemo eſt, qui venam diſcindere audeat*. vbi prohibet omnino paruulis, non maioribus, bimis, trimisue, quibus noſtri experti chirurgi facillimè venas ſecant: in maioribus igitur ſecari vena poteſt, & cum Gal.3. meth. c. 11. *menſuram vacuationis tum ex redundantia modo inuenies tum ætate, natura, regione &c.* nos autem in ſanguine pueris mittendo audaciores eſſe Galeno poſſumus, quia

modo

modo pueri Romani validiores sunt,& sangui-
ne magis abundant, quàm tēpore Galeni.nunc
enim etiam lactentes Vinum potant continuò,
cum tempore antiquo illo interdiceretur eis.5
enim de sanit.tuen.5.dicitur Vinum pueris esse
alienissimum,& lib.1.c.11. pluribus agit non
esse dandum Vinum pueris, & concludit ne-
minem rationis compotem vti Vino pueros
concessurum, & *neque etiā adultis nisi modicè
sumptū* vtile iudicat,& lib. quod animi mores
&c.c.10. ex Platonis Timeo. *Pueri duodeuige-
simum annum à vino prorsus abstineant*. ita
ablatę vidētur difficultates omnes de sanguine
mittendo in pueris, & roborata Romanorum
sententia prędicta, procul delegata tum aua-
ritia, & timore sanguinis, tum etiam prodi-
galitate, nimiaque alieni sanguinis siti. pos-
sem autem addere multos auctores, multasque
Nationes, quę huiusmodi salubrem in pueris
Romanorum vsum sibi familiarem fecerunt;
sed Eminentissimę Romanę scholæ dignitas,&
auctoritas non eget aliena auctoritate.

Vino pueris interdictum.

Regrediar modo ad τῆς φλεβοτομίας ἔκλειψιν,
illud nimirum in medendo vitium, quod ve-
næ sectionem necessariam penitùs omitten-
do, vel deficienter imperando committitur,
sed superfluus omnino labor, & gratis susce-
ptus videtúr, essetque recoctam proponere
κράμβην namquè Galenus Erasistrateos de-
bellauit, & perdidit, eiusque libri satis sunt
pro expugnatione vnius, alteriusuè resurgen-

Defectus phlebotomiæ.

tis ἀιμοφόβοι. Afferam tamen ex multis pauca quædam nocumenta insequentia ommissam, vel paucam sanguinis euacuationem.

Primò. autem nocuam esse dicimus omissam venæ sectionem existente plethorica disposicione, qua propter Hipp. 1. Aph. 3. *Habitus Athletarum* (inquit) *qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo consliterint. Neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum verò non quiescant, neque poßunt proficere in melius, reliquum est vt decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat.* in commento scribit Gal. quod in tali habitu, *cum vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne aut ipsa dirumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturuè; sicuti etiam subita morte interierunt athletæ quidam, cum ad summam repletionem venissent.* patet igitur, quod nisi in tali dispositione mittatur sanguis magna imminent pericula.

In pletoras

Secundo. Si Mulieri menstrua cessauerint, & ex abundantia sanguinis in Venis, sanguis euomatur, omissa Venæ sectio plurimum lædet nam Hipp. 5. aph. 32. & 1. de Morb. 6. *Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio.* Gal. verò in com. vult, vt misso è vena sanguine euacuemus plenitudinem, naturam imitantes, ita etiam quia aph. 33. subdit Hipp. *mulieri menstruis deficientibus, sanguis*

Mensib. cessatis

guis à naribus fluens bonum. nos naturæ imitatione, quum ea cessat, vena secta abundantiam tollemus. pericula autem ob retenta menstrua Hipp. lib. de Virg. morb. recenset dicens *cum sang. non habuerit effluxum in virgine nubili, præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum, cum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit: deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit.*

Tertio. sicut deficiente consueta sanguinis euacuatione per hæmorrhoidas multa pericula imminent. Nam Hipp. 6. aph. 12. *à diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruetur periculum est Hidropem, vel tabem aduenire.* ita Medicus, cessante omnino ea vacuatione, si Venam secare non festinauerit dictorum affectuum particeps causæ erit. ita etiam scripsit 3. in 1. pror. com. 39. *Qui statis temporibus sanguinem profundunt, siticulosi hi, difficiles, & exoluti, si non profuderint, Epileptici moriuntur.* cum autem ex Gal. in com. vacuatio sanguinis consueta retenta fuit, his morbos fore plethoricos, manante ipso ad eas corporis partes, quæ retentis excretionibus propinquæ sunt, vel ad eas, quæ imbecilliores existunt: particulatim verò de ijs, quæ ex hæmorrhoide, vt pote excrementis existentibus melancholicis, alunt vel melancholiam, vel phthisin, vel hyderum, vel varices, vel cancrum, vel Elephantem: præter hos autem vnicuique, in ea parte fore affectionem, quæ

Defectu cõsuetæ vacuationis

cæteris

cęteris manifestè imbecillior existit,sensus au tem Hipp. est,quod si cessante solita sanguinis euacuatione,ægri facti fuerint siticulosi,diffici les,& exoluti,si profuderint more cōsueto sãg. bonum esse; si verò non profuderint Epilepticos moriri. Medicus autem si in huiusmodi casu non secauerit Venã mortis reus ipse erit.

Quarto. Hipp.1.Epid. constit 3.in febribus ardentibus. *Quibus quidem bene, ac large sanguis per nares erupit, per hoc maximè seruabantur; & nullum noui, qui in hac constitutione mortuus eßet, si rectè ipsi sang. profluxißet. In Philisco enim & Epaminone, ac Sileno, quarta, ac quinta die parum de naribus stillauit, & moriebantur,* deinde scribit. *Sanguis autem plurimis erupit, maximè adolescentibus, & in vigore constitutis, & talium plerique perierunt quibus sang. non erupit.* ex quo textu colligo in quibusdam febribus non factam sanguinis excretionem mortis esse caussam,caueat igitur Medicus ne peccet omissione venæ sectionis.

Possem hic plurimos affectus, & constitutiones afferre,in quibus omissa venę sectio maximo esset detrimento: sed hæc innotescent in alia Epist.de vero Vsu phlebotomiæ, vbi tradendum est,quando Venæ sectio conueniat.

περὶ ὑπερβολῆς,

ALterum autē vitium, quod in Abusu venę sectionis cōmittitur est ὑπερβολὴ excedens,

dens, & ſuperflua ſanguinis emiſſio: vt autem Galenus in Eraſiſtrateos, & Hæmophobos ſui temporis acerrimè diſputauit, & penitus pro. fligauit; ita à me hoc æuo contrarium vitium eſt debellandum, meumque ingenium exercere cogor contrà τοὺς φιλαιμάτους, prodigoſque ſanguinis effuſores; Et quot quidẽ damna ſub copioſa ſanguinis vacuatione deliteſcunt? damnanda autem omnino eſt excedens humani cruoris, Vitæ Theſauri, & animæ vegetantis domicilij deperditio, illam autem excedentem voco ſanguinis miſſionem, quæ vltra vires corporis eſt, illã verò moderatam, (etiam ſi vſque ad ſyncopem proceſſerit) in qua virium adeſt robur, conferentia, & tolerantia. Medicos autem, qui in exceſſu phlebotomiæ ſæpe, & data opera peccant, expellere poſſumus cum Delphico Oraculo. dientes. βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, ἔτι τοι φόνος ἀμφὶ χέρεσσι, Πολὺς ἀποστάζων, ἀπὸ λαΐνου οὐδοῦ ἐρύκει. Temerarij enim ſunt Philæmates, & in medicina Hæretici, & hos quidem pauciſſimos adeſſe puto in Italia. Fama quidem eſt ſcholam Pariſienſem copioſam eſſe in ſanguine mittendo, ego autem ipſam neque prodigam, neque ſæuam in ſanguine mittendo imaginari queo, quùm enim ſapientiſſima ſit, nunquam mihi inducam, vt credam, ab ea quicquam temere agi; verum quidem eſt Regionem à Regione variare, aerẽ ab aere, ſi igitur Hiſpani, ſi Galli, ſi Germani, nec ſimul ipſi, nec cum Italis conueniunt in

Cede meis menſis manibus nam ſang. adhærẽs, deſtillanſque recens prohibet tibi limina Tẽpli.

quan-

quantitate ſanguinis vacuādi;quid ad Romanos?qui aere diuerſo fruuntur,& ſicut Regio, Cœli aſpectus, habitatorum temperamenta, victus, mores, & conſuetudines incolarum diuerſa ſunt,ita in medendi praxi (vt cuilibet leuiter in medicina,vel in Hipp. lectione verſato patet) non parum veriare licet remediorum tum quantitatem, tum numerum, tēpus,modum, figuram, & præcipuæ phlebotomię vſum,laudandumque eſt prouerbium illud *Dum Romæ es Romano viuito more*, non erit ergo probanda illorum opinio, qui alienos medendi mores inducunt, diuerſas ſanguinis profuſiones, eaſque vel exterorum more, quod enim illis in Regionibus ſaluberrimum eſt, hic Romæ erit fortè pernicioſiſſimum, vt in plantis apertiſſimum eſt, tum in Perſea arbore, tum in Iuccę radice, quod in Hiſtoria plantarum Horti Farneſiani aliàs dictum fuit luculentèr. Peccauerunt autem quondam in ſanguine mittendo Eraſiſtratei quidam; qui à Galeni verbis ſeducti, phlebotomiam in vſum trahere cœperunt, vt legere eſt apud Gal.contrà Eraſis.qui cum ſanguinis mittendi veras leges ignorarent, ex defectu, in exceſſum cecidere; ſuperioribus autem annis in hoc peccauit Botallus, contra quem inſurrexerunt Galli multi, occaſionemque ſcribendi ſumpſerunt. Bonauentura Grangerius, Iac. Pontius,Io.Bapt.Donatus,Georgius Caſpius Marcus procerus, & alij: ſcripſit etiam de

abuſu

abuſu Venæ ſectionis Iac. Cotugnus. ego autē cæteris relictis accedam ad explicanda nocumenta, quę ſequntur exceſſus Phlebotomiæ, in primis autem afferre placet carmina quędam, ad hanc rem facientia excuſſa apud Iacobum Pontium lugdunenſem Medicum in lib. de nimis licētioſa, & liberaliore, intēpeſtiuaq; ſang. miſſione, liceatq; mihi ea tranſcribere, & proferre pro vſu meorum diſcipulorum, vt nocumenta venę ſectionis diligentius intueantur.

AD IACOBVM PONTIVM
Poetica Sanguinis quærimonia Iani Emichoeni Aruerni.

Sanguine cum noſtra conſtet pars maxima vitæ
Et corpus linquat Gelidum cū ſanguine vita,
Viſque animæ cum ſit, ſedeſque potiſſima ſanguis.
Purpuream indè animam magno recitante poëta,
Cur fiunt ſectis exanguia corpora venis?
Sin minùs arrident tanti tibi verba poëtæ,
Accipe quod ſummi ſtatuunt edicta Tonantis,
Parcite mortales, eſu temperate nefando.
Mactatæ pecudis vetitum cum carne cruorem:
Nempe quod inſit in hoc anima (inquit ſitquè piandum
Crimen morte atrox anima cum ſanguine veſci.)

Haud

Haud secus immundum probibebat sanguinis esum
Alteriusq: animantem animantis viuere letho
Exuere humanos ritusque referre ferarum,
Nomina qui primum mutauit vana sophorum,
Atque samum fugiens Crotonia litiora venit:
Cùm sat abundè homini tellus alimenta ministret.
Poma, nucesque gerant horti, sint vitibus vuæ
Sensit & hoc, animam, vitamq; in sanguine poni
Ambitione noua flagrans qui numen haberi
Præcipitem sese flagrantem misit in Aethnam.
Quis furor arripit mortalia pectora, morti,
Vt sponte occurrant, studeant quoquè fallere vitam?
Accelerentque necem iactura sanguinis, atque
Alterius nutu properent præbere secanda
Brachia, credentes dubiæ sua membra securi?
Quæ noua tam sitiens humanum Empusa cruorem,
Aut Lamia, absorbet saniem iuuenumque senumque?
Sarmata, quisne Getas inter tam dirus habetur
Quem iuuet epoto, calidoque madere cruore?
Intus alit sanguis, necat extra: durus & inde est.
Intinctas solitus vibrare cruore sagittas
Vulneribus Scytha, quo possit procul esse medela.
Sanguineasque pluit guttas cùm Iupiter, iram

Portendit,pœnasque monens instare minatur
Humano generi,scelerumque piacula poscit:
Prodigat infamis media gladiator arena
Quamlibet alterius, pugnans, propriumque cruorem.
An nondum exhausto sacrati sanguinè? Non si
Sanguineam vestræ penitus mergantur in vtrē
Ceruices, primò veluti fecisse Monarchæ
Persarum ,Scythiæ fertur regina Tomiris?
Heu nunquamne cutim nisi pleni forte cruoris
Limosæ exemplo linquetis hirudinis? At vos
Iessai saltem moneant oracula vatis:
Extimulentque sacri solennia cantica Regis,
Ingratis benefacta Dei qui tanta recensens
Exprobansque Apage hinc procul, vir sanguinis,inquit:
Attulit incautis quod missio sanguinis ista
Importuna necem subitam languentibus ægris
Fasciolam ob laxam neglecti vulneris. An non
Oesopicus sanguis vobis, hoc tempore belli
Formidandus erit,Christi qui numine læso
Nil hominis præter faciem, nomenque tenetis?
Non sat erat morbi omne genus, veluti agmine facto
Quotidie rabidamque famen pestemque solere
(Præter tot quibus est ætas obnoxia casus)
Tenuia mortalis præcidere tempora vitæ:
Infectis cadere occulto paterisquè veneno
Complures,paucos, at sine morte perire
Ni sua nudarent sceleratum in viscera ferrum?

Non

Non sat erat suaui interdicere Sanguinis ægris.
Telluris potu, dum lance viuitis ipsi?
Esse salutarem quem sua ferat: attamen olim
Qui Latij princeps, Medicum nomenque demusque
Asseruit, quod turba rudis labefecerat ante?
Non sat erat, tot funesto cecidisse tumultu
Myriades hominum, specie pietatis auitæ:
Nocte Hereboq; satis prabētibus arma, facesq;
Proh dolor! in nostras ausibus furialibus oras:
Vnde tot in nostros incendia lata per vrbes,
Vnde tot atroces strages cadesque cruentæ?
O Franci, Antiquæ memores virtutis auorum,
O Franci, inquam, sanguis inest quibus integer aui,
Iungite composita concordia fœdera dextra,
Conspirate animis, & in vnum cogite vires
Rege sub Henrico, quo non pietate, vel armis
In terris vnquam visus præstantior alter;
Tros Tyriusque omni posito discrimine, vobis
Sint ÿdē, inquè bonū commune referte vicissim,
Naufragio fuerint tanto quacumque relicta:
Dum post tot cædes, pereat communibus armis
Perfidus Allobrox, & iniqui fastus Iberi:
At quo dulcis amor patriæ me adduxit in altū?
Ergo sacra cohors medicùm, Phoebeïa proles,
Aut nunquā, aut nisi præsenti discrimine vitæ,
Parcius è venis vitalem haurite liquorem:
Quo sine, prorsus homo nihil est quàm putre cadauer.

Si

Si quid ineſt autem vitioſum in ſanguine, vt atra
Si bilis vel flaua natat, pituitauè lenta,
Purgetur ſenſim, victus ratione, vel vſu
Rerum quæ ſani fuerint medicaminis inſtar.
Sic ego te memini in tenui ſcripſiſſe libello:
(Vndè tamen Ponti tibi laus non infima cedit
Noſcere ſi liceat generoſum ex vngue Leonem)
Immodicos æſtus præpones purgare ſolere
Hepatis, obſtructoſque ſero reſerare meatus
Pronorum nimium in Venerem geneſimque iuuare.
Ergo Vitæ hominũ vindex clariſſime Ponti,
Ac Princeps, quotquot docto numeroſa medentũ
Nunc alit atque fouet deducta colonia Planco,
Euge, manu abſtruſis cõcinnum mitte libellũ
In lucem è tenebris, errores detegis vnus
Quo labyrinthaos veterum, primiſquè recentum
Qui ſine delectu eliciunt è corpore ſanguinem:
Quo ſine prorſus homo nihil eſt quàm putre cadauer.
Qualis enim eſſe poteſt ægris damnoſior vllus
Artis quàm medices temerarius ac malus error,
Vnde ſalus hominũ pendet? ſic non datur error
Duplex in bello, Lamacho quem teſte, frequenter
Conſequitur clades ſumma, exitiumq; malorũ.
Non igitur pigeat pudeatuè in luminis auras
Quos latitare domi reliquos ſinis edere foetus:
Quorum conuellent nulla vnquam obliuia famam

D *Per-*

Perpetuò quin passim etiam excipientur honore.

Hæc autem attuli non vt mediocrem, quam laudo, sed vt excedentem Cruentationem notarem. Neque Pontius Methodicam sanguinis euacuationem despexit, sed excedentem abhorruit. Ego autem breuiter adducam in medium nocumenta quædam, quæ tum ab Antiquis, tum à nostris timentur ob copiosiorem Venæ sectionem.

Quid sentiat I. Pôt.

1. Nocumentum. Copiosa phlebot. corpus refrigerat.

In primis, quod copiosa sanguinis emissio corpora refrigeret nemo negabit, si enim in sanguine calor est, (vndè nullum exangue Animal calidum scripsit Gal. de fœtus format. cap. 3.) sang. euacuatio erit caloris diminutio propterea in superpurgationibus vltimò, & non nisi coacta natura, sanguis educitur: nempe, quia calore viuimus, & in sanguine calor est. vnde Gal. 6. de Vsu part. 9. pisces esse temperamento frigido asserit ob sanguinis penuriam. & lib. quod Animi mores, &c. cap. 3. *illud euidenter perspicuum noui* (inquit) *sanguinis missione corpus frigescere*. quærit etiam ibi cur sanguinis copiosa euacuatio animam disiungat à corpore, & 4. in 6. Epid. 25. ex sanguinis inopia fieri voluit, vt carnes refrigerētur, acquisititium sanè calorem à sanguine, non proprium, non insitum, vt iecur, & cor possidentes, proinde venosi sunt calidiores ob copiam sanguinis: huius igitur magna emissio semper erit nocua, semper calorem imminuet, & quò copiosior, eò magis inimica,

Refrigeratio a spirituum inopia.

verùm

verum aliquando prodest corpus ardens refrigerando. Venæ enim sectio ex Gal. 10. meth. 10. non primùm, sed ex accidenti calidam aliquando intemperiem sanat. in cæteris casibus vituperanda est frigiditas introducta per sanguinis inopiam; inde prodeunt praua accidentia. Adeò autem timuit Gal. corporis refrigerationem ob sanguinis penuriam, vt mittere sanguinem non permiserit in temperamentis, ætate, regione, anni tempore, & morbis frigidis, quod etiam Auic. retulit; nè tanta introduceretur frigiditas, vt calor naturalis functiones suas perficere non valeret, & obseruauimus nos multos post copiosam sanguinis excretionem aliquando à Natura, aliquando vulneribus, vel indocti medici consilio factam, ita frigidos redditos, vt non solum extrema, sed etiam corporis caro diu ad tactum frigida sentiretur; immo etiam internæ coctiones imminuebantur ab inducta frigiditate: habemus exempla apud Hipp. 1. prorretic. 19. & in Coacis, de frigiditate ex Hæmorrhagia. ait .n. *Quæ diebus Criticis ex hæmorrhagia incidit valida perfrigeratio, pessima.* Deinde. *Quæ à profluuio narium cum sudatiuncula incidit perfrigeratio mala est.* Præterea. *Detractio sanguinis in Torpida perfrigeratione malum,* & Paulò post. *In perfrigeratione non sine febre torpidos sanguinis detractio lædit, & putantes se melius habere, hi moriuntur.*

Galeni metus.

Hippocrat.

Secundo. Assero ob copiosam sanguinis 2. Notũ.

 missio-

missionem corpora reddita exanguia decolorari,& amittere floridum colorem, exalbidaque longo tempore permanere, testis erit Hipp.2.in 2. Epid. scribens. *Dicendum quod, vbi sanguis effluxit, expallescunt*. & in lib. secretorum Gal. ascripto legitur medicamentum ad mutatum colorem ex fluxu sanguinis superfluo. Sed dices.quid refert in ægrotante colorem exalbescere?, respõdeo hoc esse plurimi faciendum: nã Hipp. scripsit decolores nõ esse purgãdos.4.acut.115.& li. de Veratro. *neque etiã exangues*, sed Gal. per exangues intelligit decoloratos ob penuriam sanguinis. vndè quum Hipp.5.Epid.num.2. Tabescenti viro in Oeniade venam secuerit *in vtraque manu, donec exanguis redderetur* intelligendum est donec colorem faciei amiserit, non autem donec totus sanguis fuerit exhaustus, vel donec sanguis ex se sistatur, hoc enim vel esset periculosum expectare si tardè sisteretur, vel pauci iuuamenti, si citò quiesceret, & Bonau. Grangerius pag. 38. *decolorem* vertit verbum ἔξαιμος.

Corpora exanguia decolorantur,

Decolores nõpurgãdi.

quid sit Exãguis.

3.*Nocũ.* Tertio. Vulgaris fama est copiosam, & frequentem sanguinis effusionem oculorum aciem hebetare, ob spirituum defectum; nam quum animales spiritus ex vitalibus fiant, & hi sanguine nutriantur, ablato nutrimento, diminui spiritus necesse est, & hinc etiam minui actiones à spiritibus productas, ita etiam surditas succedit copiosæ sang. Euacuationi, & quendam noui ob copiosum sanguinis effluxum

Phlebot. Visum hebetat surditatẽ facit.

xum

xum ex hirudinibus propè aures admotis, surdum esse omnino redditum, & adhuc permanere.

Quarto. tanta neruis impartitur læsio, vt Tremores, cōuulsiones, & singultus succedant. Prædixit autem ea bismille ab hinc annis Hippocrates, vt 5. aph. 3. *sanguine multo effuso conuulsio, aut singultus accedens, malum*. idem repetit. 7. aph. 7. & in Coacis prænotionibus. 5. etiam Aphor. 56. *in fluxu muliebri* (inquit) *conuulsio, & animi deliquium si accidat malum*. Tremor autem ex Gal. lib. de Tremore, conuuls. &c. fit quandoquè à largo sanguinis fluore, fit etiam à copia sanguinis retenti. 4. *Nocū. Phleb. neruos lędit.*

Quinto. Quod ex copiosa sanguinis missione sequatur syncope dubitare piaculum est, Auctores enim sæpe sanguinē mittendū consulunt vsque ad animi defectum, ad syncopem, exclusiuè tamen, quod si pergat effluere vitę Thesaurus sequitur Syncope ipsa, & Mors, teste etiam ipso Gal. 5. aph. 16. nam cum in syncope omnes vires præcipites ruant, ex tanta læsione, si reuiuiscat æger remanet tamen corpus ita debile, & eneruatum, vt reliquo vitæ tēpore imbecille permaneat, diminuto autem calore naturali, coctiones nō perficiuntur & reliqui humores corrumpuntur. Vires enim imminuit semper sang. missio ex Gal. 3. de V. acut. 17. hinc Pulsus vermiculantes sequuntur (ex Gal. 2. de presag. ex puls. 9.) sanguinis profluuia, & mensium, ac hęmorrhoidarum largas 5. *Nocū. Syncope.* *Pulsus in Syncope.*

vacuationes, ostendentes arteriam mollem quidem, sed debilitatam insigniter facultatem, suntquè etiam pulsus (ex 4. de cau. puls. 27.) parui, languidi, inordinati, celeres, & crebri. ob virtutis defectum. Iurè igitur Auer. 7. collig. 8. timuit syncopem à phlebotòmia, quia mors in propinquo est. Neque antiqui tam facile accedebant ad eam phlebotomiam, quæ animi defectum parere poterat, nam Hipp. antea considerandą proponit, & requirit Morbi magnitudinem, Virium robur, & ætatem firmam, & quamuis eam coactus concedat aliquando, vult tamèn cum timore ad eam nos accedere: vt patet 1. aph. 23. *& vbi vsque ad animi defectum expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare*. & Gal. in com. *Oportet*, inquit, *viribus integris atque valentibus tantam moliri euacuationem*. Præterea audire licet ipsum Galenum 9. meth. c. 10. dicentem. *Si quidem in sanguinis missione quam vsque ad animi defectum faciendam esse paulo ante diximus, quò flamma in Synocbis ex meatuum clausura febribus extingueretur, non paruum meritò subsequetur incommodum, nisi opportuno tempore, aut debita mensura fiat. Duos namque in ipsis medicorum manibus perire vidi, qui post, quàm animo liquerentur, nunquam reuixerunt. Multi verò, etsi non protinùs, at postea propter virtutis infirmitatem perierunt: quos si quis citrà eius resolutionem vacuasset, minimè periissent. Quin etiam aliqui*

Euacuatio ad syncopē

Ex Phlebotomia quæ mala.

qui in morbos inciderũt longos, postquàm immodica inanitione resoluta naturalis vis fuit. Alijs cum immodicæ vacuationis noxam sarcire non potuissent in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamẽtum redditum est frigidius. Ex qua refrigeratione facile ex quauis occasione læsi, alij decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt, alij ex eo ipso in morbos deciderunt exitiales, aquam inter cutem, & Orthopneam, & iecinoris, ac ventriculi imbecillitatem, & Apoplexiam, & Paralisim, & deliria. & de cur. ratione per sang. m. 12. vtile est pulsus attendere, *ne nobis inopinantibus* (inquit) *pro animi deliquio mors occupet, quod sanè tribus euenisse medicis noui. Venam secabat eorum vnus Mulieri febricitanti, aliorum vterque viro; sed ad tantum animi duxere deliquium vt vires recuperari non possent: proinde satius est, tam copiosis vacuationibus abstinere, nisi magna incumbat necessitas.* nec Iuberto doctissimo Gallo placuit copiosa, totiesque iterata sang. missio, vt libello de rè hac dicato scripsit. Quæ si legissent quidam nostri temporis medici, minùs profectò faciles in sanguine mittendo essent, nec assererent, id ex Galeni sententia se efficere: nec Experimentis de copiosa sang. missione ab vno, vel altero Medico narratis, vt suam opinionem protegant, errataque alia tegant, multam adhibere debemus fidem; nam Erasistratus, qui nunquam misit sang. sua experimenta producebat sana-

E Syncope aliquot Mortui.

Erasistrati experẽtia.

torum abſque phlebotomia, & tanti æſtimabatur illo ſæculo, vt primatum in Medicina teneret, & pleraque Medicorum pars Eraſiſtrateam ſe nuncupabat. Eratque talis vt (referente Gal. adu. Eraſiſtrateos c. 4.) *Quorundam iudicio Hippocrati par eſſe videretur*, tamen, vt maximum in Medicina vitium eſt defectus in phlebotomia, ita maximò maius erit exceſſus in effuſione ſanguinis humani, quam breui, quandoque illico, ſequitur Mors. Nos etiam Romani omnes æquali modo in noſtro Cœlo, quotidie experimur excedentem, nimiſque reiteratam ſang. miſſionem, maximè nocere, mediocrem vero mirum in modum iuuare. Numne Hipp. ſcripſit. 2. aph. 51. *plurimum, & repẽte euacuare periculoſum, & omne nimium naturæ eſſe inimicum*, & prius lib. 1. aph. 3. euacuationes extremas periculoſas dixerat, quod ſi aph. 2. eas dãnat euacuationes. Hipp. quas ægri grauiter ferũt. Quid quæſo grauius eſſe poteſt, quàm præ vacuationis magnitudine animo linqui? vnde Gal. 9. meth. c. 10. in ſang. miſſione iubet nos attẽtos eſſe pulſuũ diminutionibus, nè nobis inopinãtibus pro animi deliquio mors obrepat. ſic Hipp. 6. aph. 20. *Hydropici, aut Empiematici dum vruntur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua confertim effluat, moriuntur*. ratio eſt in prõptu ex Gal. deſumpta, quia euacuatur vnà cum peccantibus humoribus ſpirituum copia, quam, dum ſuſtinere, vires nõ poſſunt protinùs concidunt, quod ſi

Hippoc.

Nimiæ euacuationis nocumẽta.

mors

mors consequitur prauorum humorum in abdomine contentorum vacuationem excedentem, quantò magis ad sanguinis (qui caloris, & spirituum insignẽ copiam continet) profusam, & prodigam euacuationẽ, consequetur? 6 *Nocũ.* Læsio facultatis animalis.

Sesto. Quotidie experimur facultatem animalem à copiosa sang. missione ita lædi, vt amittatur memoria, deficiantque sensus, & Imaginatio, & ratiocinatio, vt testatur Hipp. 7. aph. 9. scribẽs. *Ex sanguinis fluxu delyriũ, aut etiam cõuulsio, malum.* nec mirum, quia si sanguis alimentum est spirituum Vitalium, & ex his gignuntur animales, ablato sanguine tabescunt spiritus vitales, & deficiunt animales, quibus deficientibus Animalis facultas tanquam suis instrumentis priuata actiones, consuetas haud valet perficere, neque solum desipientia, & fatuitas emergunt, sed etiam delirium, seu deprauatio actionum, ratione bilis cõmotæ post euacuatũ sanguinẽ, qui eius frenũ erat, sed hoc magis accidit redundante Melancholia, vel atrabile, quæ ablato sanguine furit magis, & in maniã, vel melãcholiã leuiter desipientes inducit, siccato corpore, ac refrigerato, & consũptis spiritibus humidis, & lucidis. Delirium.

Septimo. Immanis, & barbara sanguinis missio Senectutem immaturam, valetudinariamque accersit, & naturalem accelerat interitum. *Cum enim* (inquit Pontius) *senescere nihil sit aliud, quàm mutari à calido, & humido temperamento, in frigidum, & siccum, anno-* 7. *Nocũ.* Senectus accelerata. I. Pontij verba.

norum decursu. Nihil est, quod id magis præstet, nec quod citiùs aduehat eiusmodi temperamenti mutationem, quàm frequentior profusiorque sanguinis missio, propter caloris natiui, & spirituum immutationem, ac dissipationem maximam, quam adfert, tum etiam facultatum corpus nostrum dispensantium, quam inducit, labefactationem. Ex quibus excrementorum quoque prouentus maximus, qui senectutem immaturam non solum accersunt: sed etiam innumeris, ac varijs morbis reddunt obnoxiam. In sanguine etenim multus calor viuidus inest. quem à corde acceptum singulis partibus communicat, multa, & magna spirituum copia, quæ vnà cum ipso sanguine, dum euacuatur, effluunt, ac elabuntur è venis: vt equidem ad illius euacuationem, & spirituum, & caloris natiui non parua imminutio necessariò consequatur. Eccè, quę protulit Doctissimus Lugdunensis. *Et neminem ignorare arbitror* (inquit Gal. 2. aph. 28.) *ex profluuio sanguinis multo citò corpus extenuari*: immo ad Tabem perducit, nam 7. method. 6. sanguinis penuria siccitatem facit in exilibus venis, & arterijs.

Extenuatio à sang. profluuio.

Accelerat etiam naturalem interitum, si quidem si naturalis mors ex siccitate contingit, teste Gal. 1. de diff. feb. 8. ex sang. profluuio quum siccentur corpora, ad interitum compellentur; nam humidum primigenium, (quod alimento continuo æget quia continuò à calore depascitur) imminuto nutrimento ob san-

Mortis acceleratio.

ſanguinem emiſſum deficit,& ſiccatur. Præterea ſi naturalis mors fit ex reſolutione triplicis ſubſtantiæ ſpirituum,humorum, & ſolidorum, quo maior erit reſolutio, eò citiùs ſecundum naturam accelerabitur interitus,addita enim violenta triplicis ſubſtantiæ reſolutione illi, quæ aſſiduò naturaliter fit,nulli dubium eſt quin tanta ibi inducatur eius penuria, vt Ventriculus, ac Hepar viribus naturalibus amiſſis non ſolum paulò deteriorem ſanguinem gignant, illo,qui ablatus fuit; ſed longè inferiorem, ex quo inualidum corpori præſtari poſtea alimentum contingit, hinc atrophia, & mors ſuccedunt. Acceleratur etiam interitus abundantia excrementorum, & inopia alimenti: at in tanta ſanguinis, & ſpiritum reſolutione, quæ facultas vigere, & conſiſtere poterit? certè imminuto calore naturali concoctrix facultas inualida non optimum alimentum,ſed excrementorum copiam pariet. Penuriæ ſang. vitia.

Octauo. Iam dixi ex immodica ſanguinis effuſione debilitari corpora, & concoctricem facultatem lædi, quid ergo gignetur? non optimus ſanguinis, ſed cruda pituita, & excrementorum copia,quia corpora refrigerata, & relaxata non facultatem tantum concoctricem debilem ſortiuntur, ſed etiam retentricem,hinc Hipp. 4.aph. 27. *Quibus in febribus* (inquit) *ſanguinis fluxerit multitudo quacumque ex parte: cum reficiuntur, alui ijs humectan-* 8. *Nocũ*. Cōcoctrix debilitatur

mectantur, quod repetit 1. Prorret, & in Coacis. Galenus autem in com. ait. *Calore natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, multoque etiam magis neque distribui possunt per corpus; propter hæc omnia, aluos fieri humidiores par est.* neque solum facultas concoctrix debilis fit circa cibos, sed etiam circa materiam morbificam, Sic enim impediuntur crises, & humorum concoctio, quæ calore naturali opus habet valido, vnde in morborum statu non est secanda vena. Sed ex Hipp. quiescendum, ne Crisis impediatur, & natura à coctione distrahatur: illos autem nullas vnquam in suis ęgrotãtibus inspicere crises imaginor, qui quocunque morbi tempore, iterum atque iterum & decies, & duodecies, & pluries sanguinem copiosè detrahunt; & cum nullo modo natura (quamuis validissima) coctioni incumbere possit, vel nullas, vel malas Crises faciet, inconcocta existente (ob caloris penuriam, & vires debiles) materia; sic dum sanguinis missione febrem iugulare satagunt, potiùs iugulant ægrum, siquidem Hipp. 2. aph. 29. docuit. *in principijs morborum si quid tibi videtur mouendum, moue: cum verò consistunt, ac vigent, meliùs est quiescere.* quod optimè explicauit Gal. in com. *Non solo vigore* (inquiens) *exitialium morborum aduentante. sed nec etiam in prioribus temporibus mouere quicquàm oportet Recordantibus nobis, quod deplo-*

Crisis impeditur.

Phleb. impedit Crisim.

deploratos non oportet attingere, sed relinquere, & morbi finem tantummodo pronunciare. Circa initia verò illorum morborum, in quibus speramus ægrum conualiturum, tentandum est maiora afferre remedia; de quibus Hipp. dixit si quid videtur mouendum moue, sunt autem hæc maxime quidem φλεβοτομια *nonnunquam verò, & purgatio; quorum neutrum oportet in vigoribus adhibere. Vt enim in libro de Crisibus manifestauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt. Vt igitur hæ citiùs eueniant, meliùs est in principijs euacuare, quo minorem iam factam materiam faciliùs natura possit concoquere. Morbo autem consistente, cum iam natura concoxit, superfluum est euacuare, cum propter alia, tum quia vis animalis maxima ex parte eo tempore est fatigata, licet quàm maximè duæ aliæ vitalis, ac naturalis, fortes persistant.* hæc Gal. quibus manifestè afferit phebotomiam crisim instantem prohibere: sed clariùs admirabilis ille Arabs medicorum princeps scripsit. non esse sanguinem mittendum copiosè si crisis valdè distat, sed quiescendum, vel paucum mittendum, vt virtus seruetur ad crisim perficiendam, itaque ratione virium seruandarum pro Crisi paucus mittitur sang. in augmento: nihil in statu, & declinatione.

In statu nō est mittendus sang.

Hydrops.

Nono. Copiosa sanguinis excretio sæpè cachexiam, & Hydropem peperit, quod testatus est Hipp. 4. in 6. Epid. 11. *Ex sang. profluuijs Hy-*

9. Nocū.

*Hydrops corripit, & 2.*prorret. n.11. *Cui verò multùm sanguinis sursùm, ac deorsùm eruperit, & febris insuper accesserit, eũ multa aqua replẽ tũ iri timor est, atque hic hydrops breuissimi tẽporis est, & ex quo paucissimi euadunt.* Cachexiæ autem ob fluxum menstruorum fecit mentionem 2.de Morb.mul.n.5. in qua *vbi multus sanguis discessit, color est exalbidus, & facies eleuata, & sub oculis tumores laxi, et crura turgida & vterus humidus, ac sẽper præter rationẽ hians.* Gal. autẽ 2.de Nat.fac.c.8. *Ex diuturnis hæmorroidibus vel suppressis, vel immodica profusione hominem ad extremam frigiditatem ducentibus, non semel, aut bis: sed sepè tam aquam inter cutem collectam vidi; sicut mulieribus quoque tum menstruæ purgationis omnimoda cessatio, tum immodica vacuatio, cum scilicet vteri nimio sanguinis profluuio laborarunt sæpè hydropem accersiuerunt.* Ego præ manibus habui à simili causa plures hydropicos, nimirum alios à nimia narium hæmorrhagia, alios à Vomitu sãguinis 10.vel 12. librarum, alios à sanguinis per aluũ dejectione, atque etiam ab hæmorroidarum, & vulnerum sanguine multùm excreto, vt particulatim in meo *Sepulcreto* describam. edere enim volo non paucas quasdam meas victorias, vt quidam: sed centena contrà meam artem Mortis Trophea, cum cadauerum sectionibus, ingenui viri modo, quamuis ego quoque possem fœlices meas quasdam curas extollere,

Sepulcretũ Castelli.

sed

sed in extollēda dignitate propria alijs de palma cedo: tamen dicam me quandam sanasse mulierem, quæ malum habitum conceperat eo, quod chirurgus per incuriam (qui mittere debuerat ex talo vncias 8.) sanguinis eduxerat lib. 8. quæ vix post annū sanitatē recuperauit. immo Petrus Franciscus Paulus *Fatemur & nos* (inquit) *plurimū sanguinis fluxum, seu sponte fuerit, seu casu aliquo, aut etiam arte, & ad cachexiā, & ad hydropem quoque perducere posse: et nos pluries vidimus in maximis hæmorroidarum, & menstruorum, nariumque profluuijs*. Addam etiam Galeni testimonium, 2. aph. 22. *Sanguis enim cum supramodum, aut ex vtero muliebri, aut ex venis, quæ hæmorrhoides appellantur aut ex vlcere fluxerit, tunc vel omnes, vel plurimas operationes ij, qui ita affecti sunt, offensas habent. Nonnulli verò ipsorum non modo hæc patiuntur, verum etiam aqua inter cutem corripiuntur*. huius rei non est difficile rationē reddere, refrigerato enim corpore, coctiones imminuuntur, & serositas genita in cauitatem ventris decidit: fortes autem euacuationes morbos efficiunt, quia operationes lædunt valida inducta intemperatura. Historia.

Decimo. Abortum fieri educto sanguine non est meum inuentum: sed Hipp. 5. aph. 31. *Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & magis, si fœtus, sit maior*. Galenus ex defectu alimenti id accidere fatetur, & aph. 10. *Nocu.* Abortus à phlebot.

60. addit

60.addit Hipp. *si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum.* equidē scio quosdā cū Bottallo reprehensuros Hippocratem.nam plurimis vtero gerentibus vtiliter mittitur sanguis ex Celso nostro. sed Hipp.(vt etiā Zecchius cons. 90. sentit) intellexit non de parca sang. missione ex brachio, sed copiosa ex talo, vel dicerem loqui comparatiuè magis, & minùs. nobis satis est scire si non semper, plurimùm saltem id accidere, ob id hoc etiam periculum instare ex copiosa sang. missione.

Botallus

11. Notū. Vndecimo. Ex Auicenna habemus, quod in Apostematum principijs penitùs phlebotomia est domittenda, *quia humores subtiliat, & eos per corpus fluere facit, & eos sano sanguini admiscet, & est etiam, quum nihil euacuatur ex eo, quod oportet.* 4. hic nocumenta ab Auic. enumerantur phlebotomiæ factæ in principijs inflāmationū, de quibus gratis reprehenditur à Sophistico Florentino, vt etiam aduertit Bettus hoc loco, sed Auic. (connotante Costæo) Hippocratem imitatus est. 4. Acut. 22. *Quicumque autem ea, quæ inflammantur, statim morborum inter initia medicamento soluere conantur, ij non solum ab intensa inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat obsequaturque, quæ adhuc cruda est affectio; verum quoque & quæ morbo resistentia, & sana sunt, absumunt colliquantque, vbi autem corpus imbecille fit, morbus praualet;*

Phleb. in principijs apostematum mala.

let: vbi autem morbus corpori praeualuerit, remedium non habet. Et quæ de purgatione dixit Hipp. ad phlebotomiam transtulit Auic. cum Gal.14.de cur.rat.per sang. missionem ob phlegmones malignitatem interdum nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constringitur: nam quum in phlegmone respiciatur sanguis vel fluens, vel fluxus, per venæ sectionem poterit quidem deriuari fluens: at fluxus, & extrauenatus nequaquã: immo neque scarificatione tolli commodè potest. iurè igitur dixit Auic. *nihil euacuatur ex eo, quod oportet.* quod si natura valida segregauerit humores prauos, & eos expulerit ad aliquam partem, vbi coaceruati putrescant, facta venarum inanitione, retrahuntur illa excrementa in venas sic *sano sanguini misceantur.* Quin etiam verè dixit *eos per corpus fluere* non enim conuenit decumbentes in aliqua parte humores retrahi in venas, & in ijs versari, ac per corpus spargi, vt si V. S. esset bilis expulsa ad aliquam partem, & putrescens. ideo Auic. vult sang. mitti in principio antequã figatur materia, vel concocta iam est, non autem in eo tempore in quo fixa iam est, & coqui incipit, quod verò phlebotomia humores subtiliet, negat quidem Petrus Franciscus Paulus, sed non intelligit quod negat, nam post multam sanguinis missionẽ adeò attenuatur, & Fluidus fit sanguis, vt serosus euadat, quod sæpe obseruaui: nam imbecillum Hepar, & imbecilli renes

Auic sumit ab Hipp.

Explicatur Auic.

Phleb. humores subtiliat.

serum à sanguine non segregant ampliùs quia concoctrix debilis est,& refrigeratum corpus, & in principijs inflammationum misso è vena sanguine, quod relinquitur in venis subtilior, & aquosior redditur : nam euacuatæ venæ à parte inflammata trahunt; sed non cedit affectio cruda, & sanæ partes absumuntur, & colliquantur in serosam humiditatem,quæ serositas sanguini venarum admixta ipsum subtiliorem reddit. recte igitur loquutus est Auic. sed non intellectus à Barbaromastige, Florentino,quem tanti faciunt quidam.

12. Nocu. Duodecimo. Scribit Eruditissimus Auicenna. *Phlebotomia, propterea quod ad diuersum trahit, aluum valde astringit. Quumque ex multa minutione debilitabitur virtus,multi generabuntur humores.* Hoc difficile creditu Barbaromastigũ scholæ videtur,& Susio p.111. tũ quia id retulit Auicẽna,cui se opponere audent (sed Elephas non curat culicem) tum etiam quia ex Hipp.colligunt,potiùs ventrem humectari: immò nos quoque supra n. 8. hoc pro nocumento phlebotomiæ attulimus. Galenus autem 1.aph.23.secta vena ad syncopim *pluriès etiam aluus citatur* scripsit. quod etiã repetit de curat. per sang. m. 12. & fatetur Auic.1.4.tr. 2 c.45.

Alui adstrictio à Phl.

Nobis verò respondere conducit, tantos illos philosophos nescire, illud, quod fit per se, ab eo, quod fit per Accidens, distinguere, Namque copiosam sanguinis euacuationem

sequi-

ſequitur quandoque per accidens alui fluor, quia nimium refrigeratur corpus,& calor natiuus redditur debilis,admonente Gal. 4.aph. 27. vndè neque concoctrix, neque retentrix valida permanent,alui autem fluor ſymptoma eſt retentricis ventriculi, hepatis, & inteſtinorum relaxatæ, & ita per Accidens ſuccedit copioſæ ſang.miſſioni. At è contrà ipſa abundantior ſanguinis diminutio per ſe, propriè,& natura ſua aluum exiccare ſolet, adhibita tamen diſtinctione,quam docebimus infra.quod non ſolum confirmant Auicennæ interpretes Gentilis,Dinus, Vgo, Bettus, & alij; ſed probare conabor ratione,exemplo, & inductione. primùm quidem quia reuellit: vt aſſerit Auicenna,& certum eſt,phlebotomia trahi humores ad Venas; quapropter tam à centro ad circumferentiam, quam à circumferentia ad centrum trahere dicenda: cutaneas enim ad centrum, inteſtinales verò ad circumferentiam: cum igitur ob inanitionem venæ trahant ab inteſtinis,iurè Medici cōſulunt fœces, & materias in inteſtinis exiſtentes clyſtere prius eſſe educendas,quā celebretur phlebotomia,timentes tractū iri eas humiditates à Venis exhauſtis, quę excrementoſæ nimis ſunt. Hinc etiam dicemus, ſi corpus totum à phlebotomia exiccatur, (vt diximus paulo ante num. 7.) exiccari etiam foeces in inteſtinis commorantes, quia venæ exinanitæ violenter exugunt per meſeraicas excrementorum in-

Phleb. per acid ſoluit aluum.

Phleb per ſe ſiccat fęces.

intestinis humiditates, ob quæ necessariò fœces induratæ retinentur. Et cur(quæso)in Dysenteria sang. mittunt Medici? an vt sanguis, & aluus fluant magis? an verò, vt reuulsione illa sistantur? sed quid mirum? multa alia reuellentia, & corpus exiccantia fœces in aluo siccant, & remorantur, qua propter meminit Hipp. 5. aph. 83. *mictio noctu plurima facta paruam significat deiectionem*, quia inquit Galenus, necessarium est ventris humore distributo, minorem fieri alui deiectionem: pariter etiam legitur in Hipp. de dent. 2. *quibus pueris multum lactuosum reuomitur his aluus supprimitur*, & 5. in 6. Epid. tex. 28 *Mictio, quæ in ventre sunt indurat*. Galenus autem in com. *Omne corpus venere exiccari constat: sed non semper alui excrementa propterea sicciora fieri cernuntur. Verum, quando ab ipsis valde oppressa fuerit, & quando vires labefactatæ, & membra à quibus alimentum conficitur, & in ventre contenta distribuuntur, refrigerata fuerint, cum coitus, quæ in ventre sunt, frigefacit, & duriora reddit: volunt enim ex coitu in ventre contenta frigescere, & ex frigore durari; atque duritiam nō frigoris, sed siccitatis ratione euenire monstrauimus*. quæ omnia de coitu à Gal. dicta nos ad vnguem de phlebotomia adducimus. Vnum addere liceat, nimirum copiosam sanguinis euacuationem ratione diuersi subiecti Symptomata variare moxmox dicta, facta nempè in corpore naturaliter tempera-

Venus siccat.

Diuersa actio Phlebotomiæ.

peramento frigido, & humido, quia frigiditatem augebit, ac cruditates consequentur, alui fluor emerget; si verò temperamentum infœlicis ægrotantis calidum, & siccum fuerit, aucta siccitate excrementa intestinorum magis humido priuabuntur hinc reddita sicca, & dura sistentur.

Clarum quoque est illud, quod retulit Auic. scilicet debilitata virtute, & excrementis retentis, humores prauos produci, multiplicari, & in corpore dominari, ideo cap. de Hydrope scripsit idem Auic. *Et nocibilior euacuationum est euacuatio sanguinis: propterea quod virtus debilis non valet regulare humiditates, quæ in venis continentur, quo fit, vt derelictæ à regimine naturæ facile corrumpantur, & sic accidat malorum humorum multiplicatio.* Vt Excremēta producant humores.

Decimotertio. *Prægnans præterea* (vt Auicennę visum est,) *et menstruata non minuatur, nisi propter necessitatem.* hoc est maximum nocumentum, quod sæpissimè in praxi obseruaui, ex facta enim vel mediocri sanguinis eductione, dum mulieres purgantur, fit talis reuulsio, vt cessent menstrua, & difficultèr in posterum redeant, quod in fœminis pessimum est, cum multæ ob id valdè ægrotent, vndè & medicus eas interrogare, & ipsæ fateri debent ante phlebotomiam, an menstrua fluant, nec nè. igitur dum menses fluunt nullo modo secanda est vena 1. quia si facta fuerit sectio in brachio, motus naturæ deorsum reuelletur sursum ad 13. Nocū. Mēstruata nō phlebotomatur.

partem contrariam, Quarè naturalis sanguinis euacuatio impedietur: conceditur tamen si menses nimis fluant reuulsionis gratia, quia Galenus docuit. de cur. ratione per sang. m.c. 6. *sectam in cubito venam mulierum purgationes reuellere*. 2. prohibetur Venæ sectio in Menstruata, quia si multa facta fuerit, & ex talo; vel augebitur fluxio attracto, & magis concitato sanguine vel deficiet ægra ex duplici sanguinis euacuatione, etenim, si iubet Hipp. 4. Acut. 116. *Si cuipiam sanguinem auferre confert, ventrem confirmare oportet*, & Gal. in com. *fluente aluo sang. non detrahes, nam si post detractionem perseuerat fluor virtutem prosternit*. multò magis obseruandum est ne ab Vtero sanguine fluente detrahatur sanguis à Vena. 3. non est brachij secanda vena in hoc casu. Ne sanguis copiosior, & deterior, naturæ lege, ad partes ignobiliores, & inferiores expulsus reuellatur ad membra superiora, & nobiliora. Botallus autem cap. 6. non veretur sang. mittere fluentibus mensibus, lochijs, hæmorrhoidibus, &c. siuè criticè, siuè symptomaticè fluant.

Phlebot. reuellit ab Vtero.

Botalli error.

Decimoquarto. Ait Auic. *quandoque est repletio ex humoribus crudis, & est tunc phlebotomia multùm impediens, quoniam si minueris, non maturabis eos, & timebitur, nè æger perdatur*. hæc autem recepit verbatim, à Galeno lib. de venæ sect. c. 6. vbi ait, *fieri enim potest, vt crudus per corpus collectus sit succus, in* quo

14. Necũ. Humores crudi prohibent phleb.

quo aduertendum diligenter est, quantum valeat robustaque sit virtus, & quantum humor ipse sit refrigeratus: nam exsoluta ab id genus affectibus virtus, adhibita sanguinis missione, in extremum malum recidere solet, vt nequaquam postea restitui possit. Quod vbi euenit, periculum non leuè consequitur, potissimum si febris accedat statu æstiuo, stomachoque male affecto, aut toto adeò corpore natura molli, & temperie humido: eiusmodi enim hominibus multa accidit per halitum digestio, repentinaq; syncopa, etiam si febris haud magna inuadat. Si verò horum nihil sit, cæterum hyems fuerit regioue natura frigida, tum natura quoque hominis frigidior, ijs per sanguinis missionem, & totum corpus grauiter refrigeratur, & accidunt non nulla, quæ ad grauem sequuntur refrigerationem, symptomata. Quo circa qui sic affecti sunt, eos sanguinis missione vacuare non conuenit. Quis vero fortasse opponet. C. Celsum lib. 2. c. 9. dicentem, *Cum sit autem minimè crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est. Neque enim semper coctionem res expectat.* ego autem responderem Celsum loqui de morbo, nō autem de materia cruda: sed si instaretis vos afferendo Galeni auctoritatem de cur. ratione per sang. m. cap. 13. *nullam esse crudorum humorum tantam talemque plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium possit.* Responderem Vos non intelligere clara Gal. verba, si quidem loquitur de magnitu-

Celsi explicatio.

Gal. dilucidatur.

gnitudine morbi coniūcta cum cruditate, & vi rium robore, impossibile enim censuit simul posse copulari cruditatem, & virium robur, vndè vno existente abest aliud, ideò supra c. 9. dixit. *vbi tanta crudorum humorum copia accumulata est, vt secandam venam probibeat, istis virium robur non est*. si verò fuerit virium robur, non poterit adesse magna cruditas. igitur si fuerit magnus morbus cum virium robore, quia non potest adesse magna cruditas mittetur sanguis copiosè, si verò fuerit morbus magnus cum viribus debilibus sine cruditate mittetur sanguinis parum, & existentè morbo magno cum cruditate, & virium imbecillitate, nequaquam mittatur. Sed de morbo magno, & syndrome ab Hipp. allata, & à paucis benè intellecta notandum, quod quando Hipp. magno morbo opponit sang. missionem, non opponit remedium specificum generico morbo, sed detruncatè loquitur more proprio, qui non semper affert omnes distinctionum partes, nos autem complere distinctionem debemus, & genericum generico, ac specificum specifico tollere, & quia vnum non nisi vnum indicat. Morbus magnus genericè indicabit remediū magnum, quod multiplex est, specificè autem morbus sanguineus, remedium sang. phlebotomiā, & ambo miscēdo dicemus magnū morbū sanguineū requirere magnū remediū sanguineū, idest, phlebotomiā ad syncopē, si tamē id

Virium robor non est cum cruditate.

Magnus Morbus vt iudicet phleb.

id permiserint virtus,& ętas.Ita Hipp.i.de M. Mul.103.venā secat difficulter parieti si *sit iuuenis,in vigore, & multo sanguine referta, & sanguinem detrahere virium respectu habito* -

Decimoquinto. Pergit Auic. scribere pericula iminentia ex phlebotomia hisce verbis. *Quum verò sanguis alicuius fuerit bonus, & paruus, & fuerint in ipsius corpore multi mali humores, phlebotomia bonum rapiet, & malum relinquet*. hæc sententia desumpta est à Gal. 2.de hum.15.*Cū in corpore sanguinis probi exigua sit copia, & crudi humores sint admodum multi,tum nec venam secare, nec purgare, nec exercere hominem oportet, immo verò neque mouere penitus,neque lauare conuenit siquidem venæ sectiones probum sanguinem euacuant,& prauum. qui in primis potissimum venis, quæ in iecore,& lactibus sunt, colligitur, in totum corpus attrahunt*. ecce quod ad verbum Galeni verba transcripta sunt ab Auic.quam sententiam repetit 4. de sang.m.c. 5. *At, si in eodem homine reliqua eadem sint, caterum in lasso corpore sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus,aut balneum adhibendum, quippe incisa vena bonum sanguinem emittit. malum, qui in primis maximè venis circa iecur, & quod mesenterium vocant,colligitur, in totum attrahit corpus*. Heus (Amici Iuuen.) adestò, & considerate Auicennam cum Galeno conue-

15.Necē. Si sāg paucus nō mittendus.

Auic. & Gal. concordes.

nire

nire ad vnguem: Vndè qui Auicennam reprehendit, simul etiam Galenum accusat, qui autem Galenũ accusat, non est bonus Galenicus: sed Petrus Franciscus Paulus ille Galenum in his Auicen. verbis accusat. ergo falso se dicit ex Galenica secta.

16.Necũ. Bilis ebullitio. Decimosexto. *Et sũmopere tibi caue nè agrũ ad vnam duarum perducas rerum: scilicet humorum cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem*. & pag. sequenti ait. *& phlebotomia quidem* quum non est necessaria, *choleram rubeam ebullire facit, & postea aduenit linguæ siccitas, & quæ sibi sunt similes*. Hic insurgunt Arabũ detractores, & multa adducũt. sunt quidem contraria ebullitio, & frigiditas, sicut alui astrictio, & fluor, de quibus num. 12. verba fecimus. alibi autem ostendimus spiritũ Vitrioli calefacere, & refrigerare, quod ratione subiecti contingit diuersi. itaquè Barbaromastix, Petrus Franciscus Paulus, & cum his Leon. Iacchin. denique Susius, pag. 116. negant à Phlebotomia bilem inflammari. Verum Auic. id videtur repetere. lib. 4. cap. de Cura Causonidis. *Et nõ phlebotometur, fortaße enim inflãmabit eos, & fortaße iuuabit eos si fuerit Vrina turbida, & rubra*. Quærunt & Aduersarij huius rei rationem. Nos 1. opponemus Auctoritatem Hipp. 3. in 6. epid. & lib. de humoribus circà finem, qui de Venæ sectione

Bilis prohibet phleb. ait. *Impedimentum ijs, qui cruenta expuunt. tempus anni, pleuritis, bilis*. Ergo bilis impedit

dit ſanguinis miſſionem. Gal. in com. *Sectionem probibet bilis, hoc eſt humor bilioſus, qui redundet in corpore, perſpicuum enim eſt ſub eanem venam non ſecari, neque etiam ſi homo ſit admodum bilioſus*. Ecce Auic. ſectatur Galenum, ratio autem huius rei deſumi poteſt ex Gal. 4. de ſan. tu. 4. vbi docuit ſanguinem eſſe in medio bilis, & pituitæ: huius, quia eſt ſanguis crudus: illius, quia eſt ſang. aſſatus, optimus autem ſanguis contemperat ſua mixtione vtriuſque vitia. ablato autem ſanguine, qui frenum erat ipſorum, vtraque efferatur, & agit ſola: vndè bilis ebullit, pituita cōgelatur, quare dominante in Corpore bile non debet ſanguis mitti. Docuit etiam ibi Galenus ſanguinem peccare vel quantitate, vel qualitate: ſi vitioſus fuerit; vel per ſe ſolus erit vitioſus, vel alijs humoribus admiſtus: & hi erunt vel frigidiores ipſo, vel calidiores, vt pituita, & humor crudus, bilisquè flaua, & atra, & addit, ſang. per ſe Vitioſum, vel copia peccantem, ſi adfuerit virium robur eſſe emittendum, vel ſecta vena, vel alio modo. *Quod ſi Vitioſi tantum ſucci, hique citrà ſanguinis copiam ſubſint, purgatio petenda eſt, quæ infeſtanti excremento ſit accommoda*. præterea ſcribit eodem cap. humorum differentias quaſdam, *Quoniam alÿ, priuſquã ad exactum ſanguinem nutrimentum perueniat, velut ſemicocti ſunt, alÿ prorſus incocti, crudique, alÿ paulo abſunt à ſanguinis forma, rurſus alÿ ſanguificationis*

Cur ſang. frenũbilis.

Sang pec.

veluti

veluti vltima pars, qui vtique excessu caloris proueniunt, (quorum alij paululum, alij plus, alij plurimum à sang. recesserunt) vbi paululum, vel citrà sanguinem restitum, vel vltrà processum est, audacter mittendus sanguis est vbi plus, consideratius agendum, vbi plurimum in his nullus omninò mittendus est. Inspicere verò, & quantitatem conuenit, vt V. G. si bonus sanguis exiguus sit, reliquus verò succus plurimus: vtique in his abstinendum à detractione sanguinis est. sin is quidem exiguus, sanguis verò copiosus, audacter incidenda vena est. itaque Galenus prohibet sang. missionem existente copia humorum plurimum recedentium à natura sanguinis, quales sunt crudi succi, & bilis, proinde in febribus à pura bile non est sang. mittendus, neque in Causo bilioso mittit sang. Hipp. 4. de Victu acutorum immo neque Gal. in Tertiana cont. lib. 1. ad Glauc. quos sequitur Auic. quando scripsit. *In febribus autem à minutione cauendum est, scilicet in ijs, quæ vehemẽtis sunt Calefactionis, & inflammationis*. idest, in ardentibus biliosis, & quia ex Vrina sumitur significatio humoris dominantis, ideò subdit. *Et si vrina fuerit subtilis aut ignea, caue tibi à phlebotomia*. concordans cum Gal. 4. de san. tuen. citato. *Pallidiores Vrinæ bili abundãte cernuntur quod si meracior bilis est etiam planè flauiores*. Concedit autem phlebotomiam Auic. existente Vrina crassa, & rubea, quia sanguinem

Quando sang. mit.

Gal. non mittit sãg.

Feb. biliosæ non phlebot.

nem dominantem oſtendit poſſem equidem perpulcras afferre de bilis efferueſcentia ex Hipp.4. de morb. 23. ſententias: ſed nolo eſſe longior, addam tantummodo Auicennam ex colore ſanguinis exeuntis cognoſcere dominium humorum:ideo dixit. *Amplius ſanguinis qui egreditur colorem attende, & ſi fuerit ſubtilis albedini attinens, ipſum illico retine.* bilioſus enim vel pituitoſus eſt, quod docuit aliàs Galenus.

Itaque bile peccante phlebotomiam eſſe nocuam probare placet legitimæ ſcholæ Pariſienſis auctoritate, quamuis forte alij aliter opinentur, ſi quidem Fernelius Hippocrates Gallus in methodo curandi feb. c. 11. ſcriptũ reliquit. *Venæ ſectio exquiſita tertiana eſt incommoda, vt quæ vtilem, ac neceſſarium humorem detrahit relicto impuro, ac noxio, ſub hac enim febre attenuatum corpus eſſe ſolet, paucique ſanguinis: bilis verò acrior ipſa febris materia ſub cauo iecoris exuperare, & æſtuare, quam venæ ſectio nõ eximit, Nec proinde morbi ſubſtantiam minuit. Immò verò ſi vel ſponte, vel arte nimium profuſus ſanguis ſit, plerumque deprehendes bilem acriùs ferocire, febremq; inualeſcere. Peccant igitur, qui ex Vrina craſſa, atque citrina ſtatim mittendum ſanguinem pronunciant*. at hic certè apparet à Fernelio Auicennæ verba eſſe tranſumpta. Præterea D. Fontanonus c. de cauſo. *Raro in hac febre fit ſanguinis miſſio, nè bilis nimium efferueat,* maio-

Schola Pariſienſis nõ ſecat Venam in bile peccante.

Fernelius.

Fontan.

maioresque vires minuto sanguine acquirat, ac morbus augeatur. Itaque vitanda nisi nos alia circumstantia cogant, tumque non vltrà quatuor vncias sanguis detrahendus. Hic fuit Monspeliensis. ergo nec ipsius schola ita audax est, vt dictum fuit, & vncias 4. tantum mittit.

Iubertus. Iubertus autem in eodem cœlo, ait mediocrẽ sang. euacuationem esse ab vncijs 4. ad 8. magnam verò ab vncijs 10. ad 15. sed Capiuacceus noster cap. de Tertiana cont. ita loquitur. *Sanguis vacuandus, nisi per venam sectam immineat periculũ ebullitionis cholericorum: nam tunc phebotomia mortis esset caussa. Hoc autem periculum imminet, dum bilis putrescit in venis non totius corporis, sed alicuius partis determinata: tunc enim post venam sectam, deducitur in venas communes totius, quarum sanguis iam est imminutus: dum ergo bilis post venæ sectionem petit venas communes, miscetur cum exiguo sanguine, qui restat, & sic post venæ sectionem maior copia bilis reperitur in venis, quam ante venæ sectionem; vnde necessariò fit ebullitio cholericorum*. Certè Capiuaccius fuit Galenicus, & quo non Galenior alter, nec censuit Auicennæ sententiam allatam esse contra Gal. & falsam. Sed dicent aliqui se nolle his credere, sed suis experimentis, ego autem meis credam, scio autem aliquoties data opera me in terciana biliosa intermittente venam secasse, quæ statim duplex, vel continua euasit: signum ebullitionis certissimum.

Experiẽtia

Deci-

Decimoseptimo. Iam dictũ est phlebotomia facta recrudescere, & congelari humores crudos: id esse verum, modò est ostendendum. itaque ex Galeno constat à phlebotomia corpus refrigerari, sed ea refrigeratio non concoquit crudos humores, nullo igitur modo conueniet, immo refrigerando magis eos congelabit, & refrigerabit. & num. 14. iam satis ostendimus contraria quodammodo esse cruditatem (cum fiat ab imbecillo calore,) & virium robur: vndè existente cruditate non potest adesse virium robur, sicut è contrà præsente virium robore, magnã cruditatẽ esse, negatur. si ergo cruditas indicat in corpore diminutum calorem, seu frigiditatem esse, & Gal. atque Auicennas, ipsius fidus interpres, prohibent venæ sectionem, vt supra dixi, in tempore, regione, complexione, & ætate frigidis, cur erit sang. mittendus dominãtibus frigidis humoribus? Gal. 12. meth. cap. 3. verba faciens de febricitantibus vbi maxima crudorum succorum copia est, & Syncope facillimè capiuntur. *Nulli talium* (inquit) *sanguis mitti sine maximo dispendio solet, cum tamen vacuationem desiderent: verùm nec sanguinis missionẽ, nec purgationem substinẽt, vt potè quos sine bis syncope subito adoriatur.* Nequè hæc, neque ea, quę n. 14. attulimus videtur considerasse Susius, qui cap. 9. promittens ostendere Cruditatem non officere sanguinis missioni. ad Gal. contrarias auctoritates non respondit.

17. Noc. Cōgelatio humorum.

In succis crudis non mittitur sang.

Susius notatur.

dit. sed vnum tantum Gal. locum sibi fauentem attulit. de curand. ratione per sang. m. cap.12.& hoc solo loco suffultus asserit eos decipi, qui contrarium asserunt. sed debebat Galeni apparentem contradictionem tollere Galeni autem verba hæc sunt. *Vbi ergo multa euacuatione est opus, verum vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum, & me fecisse vidistis in ijs, quibus crudiorum inerat humorum copia. Nam pauculo sanguine detracto, protinus melicratum exhibeo probe coctum cum incidentium medicaminum quopiam, velut Hyssopo, origano, & interim etiam nepita, aut pulegio aut certè cum Melicrato oxymel, aut oxyglycy: ac sic rursum sanguinem minuo, vel ipso eodem non nunquã die; interdum die postero, in quo rursum exhibito propositorum medicamentorum quopiam iterum de sanguine quid aufero: ac rursum 3. die similiter bis*. sed non considerauit Susius paulo ante c. 10. Gal. scripsisse. *At vbi crudi succi exuperant, antequam morbus inuaserit, cautè vacuabis: sed vbi iam febris corripuerit, vt ante monui, nequaquã.* cap.enim 9.dixerat. tales non ferre Venæ sectionem, nos autem diligenter Galeni verbis consideratis contradictionem tollemus, non solummodo dicendo à crudis succis magnam euacuationem, non paruam vetari, quod per se patet, vel c.12. intelligere cruditatem in primis vijs, aliàs in Venis. sed cum Gal. loc. cit. in cruditate cum febre

Gal. cõtradictio explicatur.

febre nullo modo esse, sanguinem mittendum, quia virium robur esse nequit cum abundantia succorum crudorum, sed stante cruditate antequam febris adueniat *cautè* vacuandum, idest, partitis vicibus. At qualis cruditas hoc permittit? colligitur ex Gal. verbis *vires imbecilliores*, atque etiam *crudiorum humorum copia*. quæ voces comparatiuæ diminuunt ipsorum essentiam, & idem valent, ac si diceret *vires parùm imbecillæ*, & *non valdè crudorum*: nam cum extrema cruditas significet extremam virium debilitatem, & omnino prohibeat Venæ sectionem: parua cruditas indicabit paruam virium imbecillitatem, quæ ferre poterunt paruam, & repetitam (quia est copiosa materia) per venas euacuationem: & hoc pacto est intelligendus Gal.

Sed forsan afferret aliquis Galeni verba 4. de Victu Acut. 111. *Vt ignis prope extinguitur immissis lignis, tum humidis, tum multis nisi quis multitudinē sustulerit: sic & in frigidiore ob copiam sanguine, vbi calor natiuus propè extinguitur, præsentissimum est remedium sanguinis missio, quo tempore periculum ita prehenderit.* Oppositio. Resolutio. Cui facilis esset responsio à copia sanguinis grauante per accidens refrigerari corpus ob suffocationem, etiam si adfuerit sanguinis calidi copia, vnde non potest inferri, in frigiditate à crudis succis suffocantibus esse etiam sang. mittendum.

Decimooctauo. Hipp. in Coacis sect. 3. 18. *Nocū.*

 ver.

ver.79. apud Cornarum,& Martianum, & lib. 6. sect. 2. aph.18. Hollerij,& apud Duretum lib. 3. in fine. *Dolores secundum latus in febribus tenuiter consistentes,citra notas,venæ sectio lædit. Et si auersantur cibos, atque Hypocondrium attollitur. Et in perfrigeratione, ac torpore non sine febre detractio sanguinis offendit, & cum melius habere se putent,moriuntur*. 4. affectus hic proponit Hipp.in quibus non conuenit venæ sectio, quo patet error Boralli in omni morbo sanguinem mittentis, & Celsus noster in morbis. *sanguinem mittere nouum non esse* scripsit. *Sed nullum penè malum esse in quo non mittatur,nouum est*.

Quando in pleuriticis non secãda vena.

Primo. Autem prohibet Venæ sectionem Hipp.in quodam Lateris dolore ἰχνῶς idest qui *tenuis* vt vertit Cornarus, vel *æqualis* vt Duretus. Nam si affectio fuerit leuis, & parua, non aderit magnitudo morbi indicans phlebotomiam:ideo Gal.in quadam læui pleuritide. 3. in 6. epid. 44. noluit sang. mittere: ita Holler. Iacotius,& Duretus Scholæ Parisiensis præclara numina cũ Martiano nostro infœlicẽ iudicant in hoc casu venæ sectionem. si autem intellexerimus dolores æquales, vt contradixtinguantur ab acutis, qui, vnam tantum particulã afficere,sentiuntur, & idem erunt, ac *dolores costarum laxi*. de quibus Hipp. 3.in 6.Epid. 32.& hi sunt sinè notis veræ pleuritidis, vel sanguinis peccantis, phlebotomia offendit hos,quùm enim non fiant à sanguine

Pleuritis leuis.

Scholæ parisiensis sententia.

Pseudo pleuritis.

& in

& inflammatione, nocet ſang.miſſio:fieri enim poſſunt à flatu, & pituita Craſſa,in quo Caſu. Holler. *Pituita quidem craſſa lentaque in lateribus hærente, & in flatus reſoluta tendente, & ita diſcruciante ægros, aut intemperies ſola, noxia venæ ſectio eſt*. idem ſentit Iacotius hiſce verbis ſententiam ſuam propalans. *Interdum verò affectus toto genere repugnat, vt cruditas, aut cacochymia ſola. In cruditate enim robur virium non adeſt, & ſecta vena quicquid eſt probi ſanguinis euacuatur, prauus verò (qui in primis potiſſimum venis, quæ ſunt in iecore, & meſenterio, conſiſtit) in totum corpus trahitur. Vbi verò parum à forma ſanguinis factus eſt ad vtrumque exceſſum receſſus, deliberatio non inciditur: vbi plurimùm planè abſtinendum. In cæteris cautiùs agendum præſertim cùm in alium humorem inſigni mutatione ſanguis conuerſus fuerit.* Duretus verò. *exoritur autem à prolapſu catarrhi, non ab orgaſmo ſanguinis: in eo, inquã, dolore phlebotomia nullam vim habet retrahendi catarrhũ concitatũ, nec detrahẽdi conſiſtens. Ergo nec iure nec loco ad eum dolorem præſcribitur phlebotomia: proptereaque tantùm abeſt, vt aliquid opis adferat, vt plurimum noceat: quia multum adijcit catarrho, ipſum gignendo per frigus, eundemque ciendo per infirmitatem potentiæ retentricis, quam infert*. & ex his patet ſecundum veram ſcholam Pariſienſem in dolore lateris ob catarrhum pituitoſum, &

Pleuritis à flatu.

Pleuritis à catarrho.

flatus non conuenire phlebotomiam;ita etiam obseruamus Hipp. 2.de Victu acutorũ,flatuosam pleuritidem fomentis sedare tentasse non venæ sectione. Vnde subdit, *sectio autem non similiter soluit dolorem,nisi is ad claviculam pertingat*. ita igitur experimento agnouit Hipp.

Dolor lateris à bilo in Vētriculo.

Martianus autem doctissimus com. citati tex. censet Hipp. loqui de dolore à materia tenui,& biliosa ventriculum obsidente,& probat eruditissimè in tali casu non conuenire phlebotomiam; quia cachochymia biliosa iuuatur à purgatione, & læditur à phlebotomia; Nam humor noxius tenuitate peccans, sanguine misso adhuc tenuior redditur: quare accedente febre, quæ succos exurit, & tenuitas augetur, & acrimonia, venæque per phlebotomiam inanitæ cachochymiã biliosã trahentes, morbum geminant: quia denique per venæ sectionem Ventriculus magis debilitatur, & acribus ichoribus repletur, quod quidem palam faciunt, & lypothimiæ, & vomitiones à venæ sectione contingentes, vndè commune præceptum est ventriculo laborante à venæ sectione abstinendum esse,quæ,si affectio simpliciter ventriculo tantopere lædit, quę læsio expectanda erit,quãdo causas morbificas adeò exacerbat?

Cur phleb. nocet.

Aliud est phlebotomiæ impedimentum in dolore lateris, quod etiam Hipp. attulit lib. de hum. & 3. in 6. Epid. 5. nimirum sputatio san.

ſanguinis. nam ſi in pleuritide expuat æger, quo vergit educere oportet, non autem reuellere: miſſo autem ſanguine pleuritis ſalubris fieri poſſet lethalis. ſed prius dixerat Hipp. *propter inclinationem non item ſanguis exit, ſed pro humoris cognatione talia expuunt*. (ideſt bilioſum, pituitoſum, vel melancholicum) *Nõnunquam aliquibus ſanguinem detrahi conuenit, opportunè in talibus, in alijs verò, vt in talibus non conuenit*. Ecce ex Hipp. non omnibus conuenit phlebotomia Gal.autem com.43. *Expedit, inquit, horum aliquibus ſanguinem detrahi, quibus ſcilicet is copioſus eſt, et non dum inſigniter ad alterum humorem conuerſus, Non detrahendus eſt autem in quibus iam mutatus eſt*, Sed placet aurea quędam verba Dureti, loc. cit. adducere, vt Scholares Pariſienſes à præceptore edocti agnoſcant errata, quæ committi poſſunt. *Si tum ex facili, tum cito, & liberaliter expurgetur, ac ſputo flauum exactè permixtum ſit: tum careat omni excurſu, quem ciet febris, omnique coryza, & vrinarum bella ſit coloratio, phlebotomiam non exigat; ſed reſpuat potiùs & auerſetur: quoniam detrahendo ſanguinem ſputum, quod omni arte ciendum erat, retrahitur, ipſaque ſiſtitur anacatharſis, quæ liberalis erat, & libera, quæque ipſa per ſe facit, vt nihil opis requirat pleuritis à medico: quia tum ſua ſponte quieſcit. Ergo in tali pleuritide, per ſe ſanabili à phlebotomia periculum eſt, ob impe-*

Sputum in pleurit. prohibet phlebot.

Ad ſcholares pariſienſes.

Pericula phlebot. *ditam anachatarsim, quæ libertate spuendi & liberalitate, votis naturæ, et Medici respōdebat; ne taceam lateris infirmitatem, quam infert repetita carnificum phlebotomia, quamdiu pleuriticus liberali, & libera fruitur expurgatione sputi, sanguine pauco permixti*. ex his patet, non in quolibet pleuritidis tempore secandā esse venam. Sed ante sputi eductionem.

Denique altera etiam Pleuritis est, in qua secundum Hipp. de Victu Acut. Duretum in Hollerij praxi, & in Coac. in fine lib. 2. Prof. Martianum de Vic. Acut. non est secanda vena, sed purgatio adhibenda: inquit, enim Hipp. Experientia ductus, phlebotomiam non soluere dolorem, nisi ad clauiculam pertingat. Gal. tamen phlebotomiam permittit. Valesius, & alij Galenum sequuntur: sed nos experientię Hippocratis magis credimus Duretoque, & Martiano, quàm Galeni opinioni: sed placet Dureti Verba afferre, vt cognoscāt Itali veræ scholæ Parisiensis dogmata, qui scripsit in coacis de pleuritide num. 9. *tale sputum promoueri debet ijs, quæ expurgationem iuuant, molliendo, leniendo, & sputum ciendo, non autem sanguinis detractione retrahi, & impediri, quod vsu venire videmus, non sine mærore, & nemesi ab istis pragmaticis vulgo dictis, qui omnem pleuritidis curationem exigunt in sang. detractione sæpius iterata quamdiu pleuriticus huiusmodi sputa expurgat cum spe salutis prediuite*. O homines *Reipublicæ*

Pleurisis ad septū trāsuersum.

cala-

calamitosos, atque funestos! Ipsam pleuritidem quæ sua sponte nullius operis indigens cum tali sputo quiesceret ex euentu reddunt mortiferam sed hic addere liceat, quod Cel. Aurel. ex Asclepiade c. de Pleuritide, & ex hoc P. Martianus in Antiparalogismo, atque Holler. 1. aph. 2. referunt, obseruasse nimirum veteres, pleuriticos, quibus secabatur vena Romæ, & Athenis male habere, quod vtraque ciuitas magna ex parte esset obuersa austris; contra in Paro, & Helesponto bene habebant, quia hi obiecti sunt ventis septentrionalibus. *sic Narbonenses Medici* (inquit Holler.) *reprehendunt Medicos Parisienses, tanquam ad aperiendam venam audaciores. At Parisijs facile phlebotomiam ferunt, quia perflatur* à ventis aquilonibus. Narbonenses verò, & Lugdunenses non ita facilè, ea præsertim parte, quæ austrum, & mare mediterraneum spectat. Quo fit, vt Parisienses pleuritici bene habeant à missione sang. Narbonenses verò, ac Lugdunenses lædantur.

Decimonono. Prohibet venæ sectionem Hipp. *si æger auersetur cibos*, in cibi fastidio: ideo dixit nunquam satis Laudatus Auicennas. *Caue præterea tibi ne fastiditum phlebotomes; sed prolonga ipsum ab hoc, vt ei fastidium digeratur. Et tibi etiam caue, ne subtilitatem sensus oris stomachi habentem, aut ipsius debilitatem, phlebotomes, & infœlicem, ex generatione choleræ rubeæ in ipso; huiusmodi namque sibi* 19 *Noct.* In cibi fastidio.

cauere debet à nimia quoque audacia in minuendo, & proprie quùm est ieiunus. Sensus verò subtilitatem oris stomachi habentem dignosces, propterea quod à rerum mordicantium deuoratione molestatur. Et habentem oris stomachi debilitatem cognosces ex desiderij ipsius debilitate, et doloribus oris stomachi, & habentẽ os stomachi aptum receptioni cholera rubræ, & in quo ipsa etiam multum generatur dignosces ex perseuerantia nauseæ ipsius, & propterea quod choleram quaque hora vomit, & ex oris ipsius amaritudine. Isti namque quum phlebotomati fuerint, oris stomachi conseruatione non præmissa, accidet inde timor magnus & quandoque moriuntur inde. Sed à Galeno edoctus fuit Auicenna. 9.meth.cap.5. *Quibus os ventris, aut amara bile abundat, aut imbecillum est, aut supramodum sensile à sanguine detrahendo dehortantur.* Martianus censuit Ventriculi hoc fastidium oriri à bile, & ideo nocere phlebotomiam: Iacotius verò ait, quod inappetentia venæ sectionem in febribus prohibet, cum à crudis humoribus existit. Duretus autem pluribus doctissimè ostendit in cibi fastidio dicto sine febre non esse secandam Venam; signum enim est ventriculi exoluti, & facultatis eius emortuæ, vel à catarrho vitiatæ, & ait. *Hic venam secare, nihil aliud est, quàm hominem iugulare: quoniam venæ sectio, periculi loco adijcit, ac viribus detrahit ipsasque iam morbo fractas, ac genio defraudato*

Phleb. nocet biliosis.

per

per τὴν ἀποσιτίαν collapſas ad exitium planè præcipitat.

Vigeſimo. Prohibetur ab Hipp. Venæ ſectio ſi quis habeat tumidum Hypocondrium Holler. ait. *Poteſt quidem attolli flatibus, vbi non conueniat phlebotomia. Poteſt tumore laxo, & indolente tuberculo, vbi nec ea tam prodeſſe, quam nocere poteſt.* vult tamen in Hypocondriorum inflammatione omninò ſecari venam. Iacotius non diffidet, quia in ſcirrho cõfirmato, aut multis cruditatibus circa iecur collectis, aut cum à flatu eſt, non iuuatur à venæ ſectione. At Duretus tres adducit cauſas Hypocondriorum inflatorum: inflationem, inflammationem, ſcirrhum: & inflammationi concedit ſang. miſſionem, negat in ſcirrho, & flatu, ne maior cruditas, quæ flatuum parens eſt, ex ſang. miſſione excitetur calore minuto. Botallus tamen amethodus in omnibus doloribus à flatu, & in cauſa frigida, et in omnibus partibus, vult ſecari venam. Sed Martianus cenſuit Hipp. verba facere de Hypocondrio tumido propter bilem: nam febris adeſſe videtur, qua præſente Hipp. prohibet venæ ſectionem vt 5. in 2. Epid. verſ. 10. *Si verò vlcus fuerit internas venas ſecatò, ſi non febricitet,* & paulo infra. ver. 18. *Quicunque de repentè voce deſtituuntur ſi ſine febre fuerint venam ſecato.*

20. Nocũ. In Hypocõdrio tumido.

Feb. prohibet aliquã do phleb.

Vigeſimoprimo. Alterum etiam nocumentum à M. Rullando de Venæ ſect. ſcriptum

21. Nocũ.

& à me

Longa cõualescẽtia. & à me, ac meis Romanis medicis obseruatum, quod, qui multa vsi sunt sanguinis euacuatione longissimam habent conualescentiam: habitus enim refrigeratus, penuria sang. & caloris, ac Hepar imbecille, non sinunt ægrũ adipisci robustas vires, & Gal. id docuit. 9. meth. 10. vt supra pag. 54. scriptum à nobis est.

22, Noc.ª Vigesimosecundo. Abusus est venæ sectionis in affectibus articulorum. quos Hipp. non venæ sectione, sed purgatione curare tẽtat: perbellè autem Bonauent. Grangerius in sua admonitione ad Botallum p. 87. ostendit venæ sectionis abusum in hoc casu. nam *Experientia sæpe didicimus* (inquit) *frequentem sanguinis detractionem Arthriticos præsenti quidẽ molestia liberare, sed maioris postea in morbum procliuitatis occasionem esse*. refrigeratur enim corpus ex quo dolor quiescit, & fluxio tunc reuellitur, sed corpus fit debilius, coctio vitiatur, excrementaque in corpore augentur, nam *Calor imminutus pro laudabili sanguine serosum gignit, qui à partibus, quæ articulos circumamplectuntur, ad nutritionem attractus, in alimentum partis cedere nequit, partium imbecillitate, & sanguinis attracti vitiosa qualitate vnà conspirantibus, vnde articulorum dolores recrudescunt*. Ego autem vidi aliquos, qui in dolore podagrico Hirudines parti affectæ applicabant, & statim dolor sedabatur, sed breui redibat cum oedema-

Articuli læsi à phlebot.

Historia.

te,

te, & acerbior ob refrigeratam particulam.

Vigesimotertio. Abusus est, quem ex Ludou. Sept. in Animad. med. lib. 4. num. 2. afferre libet. *In sanguine detrahendo cauendum maxime, ne quanto putriorem, & deterioris conditionis sanguinem è vena profluere viderimus tanto maiorem quantitatem effluere sinamus, quod plurimos facere obseruamus: tali enim existente sanguine: & pauciores subesse spiritus constat, & vires facillime solent collabescere.* optimè autem scripsit longa experientia edoctus, putredo enim per venæ sectionem non tollitur, teste Gal. sed per purgationem: Gal. autem 1. ad Glau. cap. 11. in Quartana. *Si vena incisa* (inquit) *is qui fluit, niger videatur ac crassus* (*præcipuè verò in ijs, qui liene laborant, huiuscemodi visitur*) *audacius mittendus est. qui si flauus, aut tenuis apparuerit statim supprimendus.* & subdit Steph. Atheniensis in com. *metus enim esset, ne eo vacuato vires dissoluerentur.* nam si vitiosus non est, cur euacuandus? non videtur esse vitiosus, quia non apparet crassus, & Melancholicus, qualis debet esse ad efficiendam Quartanam, si verò fuerit niger large vacuandus, quia febri materiam suggerit, & illa nigredo indicat assationem, quæ minuitur Venæ sectione refrigerato corpore. putredo autem non tollitur.

23. *Nocu.* Ne sang. putridus extrahatur

Sang. optimus nõ mittendus.

Vigesimoquarto. Admonemus iuniores Medicos nostrosque discipulos ne sanguinem mit-

24. *Nocu.*

mittant ijs, qui immodica Venere sunt vsi. *Tibi Caue* (inquit) *in minutione sang. post coitū.* Sed Botallus. cap. 18. id negat & ait sumendam indicationem à morbi specie, ac magnitudine, & Venarum plenitudine, ac se multis post coitum ægrotantibus copiosè sanguinem demisse, quamuis enim copiosa fiat spirituū animalium, & vitaliū resolutio, non tamen fit tanta materiæ in venis existentis inanitio, vt si contigerint renum inflammationes, quæ plerumque à nimio concubitu fiunt, sang. non debeant mitti? cum dictæ inflammationes affluente sanguine calidiore ad partes motu, & labore calefactas, vel accedit feb. & sæpe præcessit vsus calidiorum, multorumque ciborum ad roborandum coitum.

Immodica Venus.

Botallus.

Responsio.

Resp. etiamsi morbus phlebotomiam requirat, tamen non existente viriū robore, non esse peragendam. ex multa enim venere. (vnam enim vicem non numero, quamuis quosdam etiam viderim ob vnicam vicem obijsse intempestiuè factam) virium robur exoluitur vnde Gal. 3. in 3. Epid. 87. *Venus neruis & Cerebro nocet, vires elidit, & debilitat*. & 5. in 6. Epid. 26. *venus exiccat omne corpus*. & Aetius. ser. 4. cap. 41. *Venus* (inquit) *maximè debilitat corpora natura imbecillia, rarefit ipsis cutis ex vehementi motu, & plurima fit per transpirationem discussio, ac exhalatio, & propterea siccitas, aliquando etiam frigiditas sequitur, tum propter raritatem, tum propter caloris*

Hipp. non purgat de lassatos à Coitu.

tran-

tranſpirationem, ac ſudores. Hipp. autem 4. Acut. 115. negat med. ijs dandum eſſe, qui ex Venere laborant morbo. cuius ratio deſumi poteſt, quia l. de Genitura initio, *ſecernitur* (inquit) *quod in corpore robuſtiſſimum. Argumentum eſt, quod Veneris vſu paucula adeò re emiſſa imbecilles reddimur*. & cur Eunuchi debiles, an quia ſemine carent?

Vigeſimoquinto. Aliquando ſanguinis emiſſio ſterilitatem inducit. Hipp. de aere aquis, & loc. num. 51. de Genitura. 3. de locis in hom. 7. Venas retrò aures ſectas ſterilitatem inferre ſcripſit. Nam ea ſectione facta *& multo ſanguine emanante ſomnus ſcythas corripit præ imbecillitate*. hæc igitur venæ ſectio maxime debilitat, forte, quia per eam multi ſpiritus Animales reſoluuntur: vnde corpore refrigerato, & debilitato non arrigitur. idem nos contigere dicimus etiam alijs venis nimis copiosè, & frequenter euacuatis; quia corpus violenter refrigeſcit: ex quò morbi frigidi oriuntur, inter quos eſt priuatio coitus, & ſterilitas ob ſemen infœcundum, & qui fœcundus eſſe poteſt, in corpore imbecilli? redditur certè ſemen frigidum, & quale eſt decrepiti ſenis. auditè fernel. l. 2. meth. med. c. 16. *Neque tamen confidentius, atque audaciùs, crebrior venæ ſectio adeunda. non parum enim ſpiritus caloriſque demit, ac in ſenectutem immaturam, & hanc morbis grauibus obnoxiam, præcipitat: cuiuſmodi ſunt Ca-* 25. Necess. Sterilitas. Fernelius.

che-

chexia, Hydrops, Arthritis, Tremor, Paralisis, Apoplexia, Impensius enim refrigerato natiuo calore, humidoque primigenio imminuto, viscera languescunt cruditas dominatur, quætot malorum causa sit, atque origo. ecce quid statuit Parisiēsis Hippocras de frequenti phlebotomia. Gal. autem de cucurbitulis cap. 4. *Eodem anno venam frequenter incidere, minimè quidem rationi consentaneum arbitramur, quandoquidem cum larga sanguinis copia vitalis quoque spiritus emittitur, quo sanè absumpto, crebrius quidem, moles vniuersa frigescit, tum naturales functiones omnes deteriores redduntur*. Iubertus etiam prohibet frequentem phlebot.

Quæ possēt afferri. Possem multa alia afferre de abusu Venæ sectionis in cacochimia. Obstruc. in febribus putridis, & intermittentibus, & pestilentibus, in peste ipsa, in Variolis, in morbillis, in scabie, Dysenteria, & in alijs morbis, dum aliqui sine distinctione vlla, absque methodo omnibus promiscuè dictis affectibus sæpe, & copiosè sang. mittere non cessant. sed video Epist. hanc quam breuem esse volebam, nimis excreuisse ergo receptui canam, iterum, atque iterum admonens dispulos meos, quos præ Vrbani

Admonitio VIII. P.M. benignitate, & Illust. Card. Barberini humanitate pro officio instruere debeo, ne se permittāt seduci ab abusu aliquo, vt magis quam conueniat{ Morbo, Regioni, aeris constitutioni, ætati, habitui exercitio, temperamento, viribus, & alijs considerandis ante phle-

phlebotomiam, ægrotantibus ſanguinem educāt, ſciantq; deteriùs eſſe peccatum in exceſſu, quam in defectu; nam exceſſus tendit ad mortē, nec à natura, vel arte emendari poteſt, defectum verò ſæpa natura ſupplet, & ars iterū perficit. Et inter omnia dum Romę commorātur animaduertāt, & credant Veterū noſtrorum Experimentis rariùs in hoc cælo magnā conuenire ſang. euacuationē; quæ tamen quādoq; non eſt prohibenda Credantq. magis experimentis plurimorū Medicorum, quā vnius, vel alterius. Atque fidem adibeant ijs, quæ prę clariſſimus Alex. Petronius Gregorij XIII. P. M. medicus, vir inſignis, & in medica arte ex- excitatiſſimus. l. 1. de Victu Rom. c. 2. ſcripſit. hiſce verbis. *Cum his quoq; illud memoria perpetuo tenendum eſt, quod hic aer, vt frumenta, & cætera, quæ nos alunt, celeriter macerat; ſic noſtra corpora, & flaccida, & vt vulgo dicitur frolla, latinè forſan fracida, continuè reddit; adeò mirùm non ſit ſi neque copioſam ſang. miſſionem, neque inſignem purgationem, hic facile tolerent*. recte igitur cum Auic. dicere poſſumus Medicis ſanguinem miſſuris *Caue, Caue:* nam plurima imminent pericula ex abuſu ſang. miſſionis, & quotieſcumque Auic. dixit *Caue* ſequutus eſt Hipp. atque Galenū, eandē venæ ſectionem cautè, & non temere faciendā prius docentes. ſed mirùm profecto eſt quoſdam reperiri, qui dicant ſe in Noſodochijs curantes pauperes, egenos, ob inediam, prauum

Alex. Petronius.

Abuſus.

uum victum, paupertatem, labores, frigora, calores, & huiusmodi alia ęgrotantes, frequentiorem, & copiosiorem in ijs adhibere vacuationem sanguinis, quod expresse est contra Galenum, rationem, & vera experimenta artis, qui. 11. meth. c. 15. *Sanè accidit* (inquit) *vt in eiusmodi morbis* (idest præcordiorum phlegmone) *diuites potius, quam pauperes perperam curentur: quia inter initia quidem sanguinis missionem maior eorũ pars propter mollitiem non admittit, tametsi magis, quam pauperes redundantiæ sanguinis affectibus sunt obiecti, vt qui magis, tum cibis se impleant, tum in ocio viuant*. tandem concludam, studiosi Iuuenes, Venæ sectionem sapienter esse adhibendam cautè, & liberaliter, non temerè, non excessiue, neque defectuosè, propter ea, quæ exposui pericula, deducentia ad vltimum terribilium idest Mortem, & hæc de abusu Venæ sectionis sint satis. in sequenti epistola tradam verum ipsius vsum, & idoneum phlebotomiæ modum, tempus, quantitatem &c. Valete interim, & plaudite.

Conclusio.

F I N I S.